ALBII TIBULLI

ELEGIARUM LIBRI DUO.

ACCEDUNT PSEUDOTIBULLIANA.

RECENSUIT

AEMILIUS BAEHRENS.

LIPSIAE
IN AEDIBUS B. G. TEUBNERI.
MDCCCLXXVIII.

LIPSIAE: TYPIS B. G. TEUBNERI.

GUSTAVO · LOEWE

GUILELMO · MEYER

AMICIS

D. D.

AEMILIUS · BAEHRENS

PROLEGOMENA.

Carolus Lachmannus, cum anno 1829 primus Tibulli editionem emitteret iusto apparatu critico instructam, codicibus non usus est nisi recentissimis eisque doctorum Italorum manus interpolatrices expertis. nam codex Eboracensis ab Heinsio collatus (*A*) a. 1425, liber autem Parisinus 7989 (*B*) a. 1423, denique tres reliquae cartae (*C*) multo etiam post scriptae sunt. hae igitur membranae omnes eo tempore sunt exaratae, quo scribae Itali iamiam pudore abiecto non tam in ueterum scriptorum uerbis quamuis corruptis fideliter reddendis quam in emendandis eisdem purgandisque operam studiumque ponebant. ut unico exemplo codicum Lachmannianorum prauitatem tibi aperiam totam: nullus eorum lacunas eas quae in communi archetypo post I 2, 25; II 3, 15; II 3, 77; III 4, 64 erant intactas reliquit, sed alius aliud in textu exhibet supplementum ficticium. talibus libris quaenam fides ad scripturam antiquitus traditam reciperandam possit haberi, ultro apparet. neque post Lachmannum codicibus uetustioribus et ab interpolationis contagione liberis indagandis uiri docti studebant, nisi quod eis quae medio aeuo ex poematis Tibullianis facta sunt excerptis aduertebant animum.

Quae cum ita se haberent, meum esse existumaui, ubicumque bibliothecas perscrutanti licuit, noua subsidia circumspicere examinare comparare. neque defuit successus. nam multis libris frustra euolutis citoque abiectis tandem duo codices plane egregios sum nanctus, tertium autem (V) Gustaui Loewe amicitiae debeo, qui rogatu meo hoc in se suscepit ut libros Tibullianos in bibliothecis Romanis maxime-

que in Vaticana adseruatos locis aliquot a me indicatis conferret; nam quominus ipse, cum a. 1872/73 Romae uersabar, id facerem, cum temporis angustiae tum aliorum negotiorum multitudo prohibebant. sed antequam accuratius ea quibus haec noua editio innititur subsidia describam, pauca praemonenda sunt.

Falsa est doctorum nonnullorum opinio, non lectitata fuisse saeculo XIV Tibulli carmina. quod cum Lachmannus de uetustioribus codicibus reperiendis desperans iecisset [praef. ad Tib. p. VI], M. Hauptius [opusc. I p. 276 sq.] Guilelmo certe Pastrengico (1290—1365) Tibullum fuisse notum ostendit. scribit enim ille in libro de originibus rerum [fol. 88[b]]: *Osiris Aegyptiorum deus aratra primus apud Aegyptios fecit, terram ferro sollicitauit et inexperta* (sic) *semina commisit, poma ab ignotis legit arboribus, palis uitem adiunxit uiridemque comam dura falce caedere docuit et ex matura uua suauis liquores expressit. Tibullus* [I 7, 29—36]. quos uersus non potuit Pastrengicus haurire nisi ex ipsis Tibulli carminibus inspectis. nam infeliciter in uerborum illorum fide eleuanda uersatus est L. Muellerus [praef. Tib. p. V]. immo Pastrengicum Veronae uolutasse codicem aliquem Tibullianum, admodum probabilis est suspitio. certe tali usus est, ni omnia fallunt, is qui a. 1329 flores auctoritatum moralium Veronae composuit [cf. quae in praef. ad Catull. p. VIII dixi]. de cuius opere nunc certiora scimus diligentia Guilelmi Meyeri [cf. huius libellus 'die Sammlungen der Spruchverse des Publilius Syrus', Lips. 1877, p. 61 sqq.]. tribus autem locis in opere illo Tibulli fit mentio. et primo legitur pag. 1, col. 2: *Tibulus in libro de felicitate pauperis uite* [I 9, 23] *Ne tibi cellandi spes sit peccare paranti Est deus occultos qui uetat esse dolos. Ipse deos somno domitos emittere uocem cogit et inuitos fata tegenda loqui.* sed hunc locum auctor sumpsit ex florilegio gallico (quo de postea agetur), ut et titulus 'in libro de fel. paup. uite' et ipsa scriptura docet. porro habes pag. 24, col. 2: *Tibulus* [I 4, 21] *Nec iurare time Veneris periuria uenti Irrita per terras et longa freta ferunt.* — *Idem* [I 9, 3] *Ha miser et si quis primo periuria collat Sera tamen tacitus pena uenit pedibus.*

ex his locis alterum excerpta Parisina quamquam aliter formatum praebent; priorem autem nec excerpta illa nec ullus scriptor antiquus adferunt. itaque hic saltim ex codice aliquo Tibulliano integro depromptus est. nihil ergo obstat quominus talem Veronae olim extitisse eoque et Pastrengicum et auctorem florum usos esse ponamus. — quibus praemissis nunc ad codices Tibullianos hodie nobis suppetentes describendos transeamus.

A, codex Ambrosianus R. 26 sup., membranaceus, saec. XIV in scriptura Gothica exaratus, formae quaternariae, solum habet Tibullum 48 foliis 22 fere linearum, ultimo tamen uacuo. a nobis primum adhibitus est. in fine post Tibulli uitam legitur: *Liber Colucii pyeri Cancellarii florentini:* ~, tum alio atramento a manu recentiore scriptum est: *Liber Cosme Iohannis de Medicis. Nunc ů Laurentii ac Ioanis Petri Francisci de Medicis. N°. LVIII.* primus igitur codicis possessor erat idem ille Colutius Salutatus, qui a. 1374 anquirendis Catulli et Propertii exemplaribus studuit: cf. eius epistulae in Prolegg. ad Catull. p. X a me exhibitae. quibus epistulis si quis hoc concludere uelit, Tibullum tum temporis iam illius bibliothecae fuisse insertum, non habeo quod opponam; certe si non paulo ante, at saltim eundem circa a. 1374 **A** natus est. qui scriptura exaratus pulcra et aequabili archetypi lectiones propagauit fideliter nec ulla fere facta mutatione, nisi quod hic illic librarius leniter peccauit. manus autem correctrix quinque saltim decenniis recentior raro in uniuersum apparet. hunc librum mense Martio a. 1876, cum iterum Mediolani commorabar, ipse excussi; locos nonnullos postea denuo examinarunt G. Loewe et A. Ceriani, clarissimus bibliothecae Ambrosianae praefectus. — huic bonitate quamquam non plane par, tamen simillimus est

V, codex Vaticanus 3270, chartaceus, formae maximae, fol. 1—37 Tibullum, tum Ouidii de remediis amoris opusculum continens, saeculo scriptus XIV exeunte potius quam ineunte XV testibus G. Loewe et A. Mau. erat olim, ut ex pagella praefixa elucet, Fuluii Ursini. correctores expertus est abhinc uarios, quorum manus non semper dinosci possunt. neque refert dinoscere. omne enim codicis pretium in

eis quae prima manus ex archetypo descripsit positum est, nauci habenda sunt quae interpolatores Itali postea siue ex aliis libris siue ex ingenio intulerunt. itaque recte fecit Augustus Mau, qui codicem a Loewio examinatum mea gratia accurate excussit, quod omnes illas correctorum manus uno siglo *man. 2* comprehendit.

Adeo autem **A** et **V** (si pauca quae in utroque scribae oscitantia commisit omittimus) inter se consentiunt, ut iam fere ubiuis communem eorum archetypum reciperati simus. ex quo num tertium apographum sit factum non potui inuestigare. iam ceteri codices Tibulliani mihi noti — ingens autem eorum est numerus et in plerisque Tibullus comites habet Catullum Propertiumque — saeculo XV scripti sunt et (unum si excipias) longe longeque a librorum **AV** praestantia recedunt, utpote Italorum interpolationibus scatentes eoque nullius prorsus ad rem criticam pretii. nescio autem an nullus poeta Romanus doctis illius temporis hominibus magis fuerit gratus acceptusque quam Tibullus. hinc primis statim saeculi XV decenniis ortum est inter Italos quasi quoddam certamen in emaculandis illius poematis. tum quippe extiterunt Tibulli emendatores cum alii tum Ioannes Aurispa (1370—1459), Thomas Seneca (Anconae qui circa a. 1420 floruit), Iouianus Pontanus (1426—1503). horum studia etiamnunc in libris mss. recentissimis (ς) extantia ut inlustrentur, communicabo cum lectoribus Senecae epistulam, quam e codice Vaticano 2794 saec. XV (fol. 1[a]) rogatu meo descripsit Loewius. continet autem hic liber Tibullum eadem qua epistulam manu scriptum.

Iohanni Ariminensi optimo phisico
Thomas Seneca Salutem.

Auderem fortassis augere uerbis operam hanc meam, si ut par fuerat ultro ac ingenue tui gratia excepissem. sed quoniam et rogatus et precio sum ad eam adductus, nulle sunt in beneficio partes mercennarii, que ad laudem et gratiam proficiscantur. Unum illud audeo dicere, quod pessimi facere mercennarii non solent, quanta potui maxima cura studuisse ut industria superarem opus mercennarium. neque enim ita ut repperi

in exemplis exscribere contentus fui, sed et doctos atque illustratos homines, qui huiuscemodi poematum studiosi habentur, quo tibi quoad possem incorruptum opus perducerem, obisse et aliquotiens ex Prato Florennam (sic) *iter habuisse, ubi Seraphium Urbinatem, Iohannem Pratensem, Nicholaum Nicholum ac ceteros una alteraue de re consultos facerem. nam quid ipse quasi diuino quodam flatu profecerim, id praetereo. certe uacua que fuerant uetustate aut scriptorum uicio deperdita, meo ut aiunt mea te* [lege *marte*] *suppleui. neque tamen omisi, si quicquam et ab ceteris esset additum, ut ex ipso spectari opusculo facile potest. admodum pauca ut opinor in tota causa me fugerunt, et ea notis assignata reliqui ceteris aut ipsi etiam mihi, siquando liberius ocium ero nactus et maiorem copiam uoluminum, ex quibus absoleta* [lege *obsoleta*] *repetantur. interea qualem hunc proinde leges, dum intelligas hoc non esse alterum in Italia incorruptiorem. ceterum et ipse aduigilabis ut et per te cultissimus et suauissimus poeta quapiam ex parte reuiuiscat ac fiat illustrior. Vale.*

Ex Prato $\overset{o}{X}$ *Kal̄ decembres 1434.*

Horum igitur Italorum coniecturis emendationibusque (nam sane haud raro praeclara opera corruptelas antiquas sustulerunt) liberrime inmutati sunt libri inde ab saeculi XV initio exarati tantum non omnes. examinanti autem istius modi codices cum Lachmannianos tum ceteros passim per bibliothecas sparsos, quorum quidem copia siue mihi siue amicis facta est, facile apparuit, eorum longe plurimos partim ex **A** partim ex **V** per uarios gradus fluxisse latius latiusque et interpolatione et deprauatione paulatim serpente. hoc tamen quaestione est dignum, num correctores isti Itali alterum diuersae stirpis codicem uetustum adhibuerint an solo nixi ingenio rem egerint. et Lucianus quidem Muellerus cum uideret lectionibus nonnullis excerptorum Parisinorum propriis infectos esse hic illic aliquot libros recentissimos, hinc grammaticis Italis in manibus fuisse ipsa illa excerpta conclusit [praef. ad Tib. p. XI]. quod nullo certo argumento potest conprobari. itaque hac in re non minus fallitur uir doctus quam in eo quod Francisco Puccio exemplar nostris

codicibus integrius adfuisse acriter negauit. Puccius enim cum a. 1502 ad Tibulli editionem Regiensem a. 1481 emendationes adscriberet, in eas codice antiquo se usum esse professus est. cuius uerbis fidem habuit Lachmannus [cf. eius praef. p. VII sq.] excerpsitque inde lectiones potiores. et recte fecit uir clarissimus. nam ipsum illud exemplar Puccianum indagare et ita egregium quoque noua plane lux Tibulli emendationi offundatur subsidium nancisci mihi contigit. cum enim antea una codicum familia, scilicet ab **AV** propagatorum, nota fuerit, iam alteram eamque multo meliorem cognoscere licet. nunc igitur de tertio codice a me adhibito agam.

G, codex Guelferbytanus [Ms. Aug. 82, 6 fol.], membranaceus, foliis oblongis constat 42, quorum 1—38ª Tibullus, 38ᵇ—42 Sapphus epistula continetur. hunc librum, cuius lectiones Heynius nil de singulari codicis pretio suspicatus passim attulerat, Ienam transmissum ipse mense Decembri a. 1876 contuli. imitatus est autem librarius scripturam langobardicam ea arte ut primo optutu saeculi X uel XI codicem uidere tibi uidearis. membranarum tamen ratione habita mox de recenti illius origine tibi persuadebis. siquid autem in arte palaeographica longo usu calleo, uidetur mihi ille circa a. 1425 exaratus esse. aliquot decenniis post uir doctus nescioquis diuerso tempore cum in margine uarias adspersit explicationes, tum correctoris munere ita functus est ut et in textu supra lineas et in margine uarias adscriberet lectiones, petitas illas partim ex ipsius ingenio non ita saepe felici, partim ex familiae **AV** codice quodam. nonnullis etiam locis nouas scripturas erasis pristinis lectionibus in ipso restituit uerborum contextu*); lacunas autem quae reperiuntur I 2, 25 ectr. suo marte expleuit. huius uiri docti adnotationes et criticae et exegeticae cum ipso scripturae genere tum uero atramento pallidiore plerumque a manu prima facile distinguuntur; sunt tamen loci aliquot, ubi intenta quam maxime oculorum acie opus est, si accurate

---

*) Si in apparatu critico ex. gr. I 2, 23 habes 'docet (o *ex corr.*) G', hic ceterisque locis correcturam a manu secunda factam esse scias.

utramque manum uelis discernere*). quinam autem uir ille doctus fuerit fortasse tum eruetur, cum tandem aliquando (id quod iam dudum fieri oportuit) doctorum Italorum saec. XV et XVI chirographa collecta et arte photographica repraesentata omnium usui patebunt. hoc enim in codice nostro ad I 7, 18 legitur: *Syri abstinebāt colūbis quod essent ueneri dedicatę et quod putarent semiramim in columbam uersam. Dicuntur & euolasse e gremio thebes uirginis colūbę duę quarum altera ad siluā dodoneā altera ad āmonem peruenit ubi mortalibus dederūt respōsa. Pont.* — idemque *Pont.* reperitur in adnotatione marginali ad I 8, 51, ubi de sontica ex Iuliano et Paulo adferuntur excerpta, et alibi. ipse Iouianus Pontanus num codicis possessor correctorque fuerit an eius interpretamenta emendatiunculasque amicus quidam suo intulerit exemplari, hoc ex causa supra adlata nunc quidem diiudicare nequeo. sed utut hoc se habet, non alio codice quam Guelferbytano usus est Franc. Puccius: adeo cum nostri libri lectionibus conuenit eius emendationibus; nisi quod, ut fere fit, nonnulla aliunde petita inmiscuit. qui quod in notis suis saepe Pontani nomen commemorauit, huius uiri manu codicem fuisse scriptum uidetur autumasse. idemque Puccius utpote in arte rudis non intellexit bene distinguendum esse inter primam manum (G) et alteram correctricem interpolatricemque (g), sed utramque aeque aestumans effecit ut bonis emendationibus admisceret prauas multas. nos, qui lectiones a g inlatas tanti ducimus quanti ceterorum Italorum coniecturas, iam quid de G statuendum sit uideamus. et ut breuiter dicam quod infra accuratius demonstrabitur: G diuerso a familia AV patre ortus ex eodem quo excerpta Parisina descenderunt codice fluxit. quod ut palam fiat, prius disserendum est

DE EXCERPTIS PARISINIS.

Extitit olim in Gallia intra annos fere 1000—1100 uir mediocriter doctus, qui ex uariis auctoribus Romanis ea quae aliquo nomine memorabilia uiderentur excerperet et in unum

*) manus tertia saec. XVI uel XVII, quam *m. rec.* significaui, titulos singulis elegiis addidit.

quasi corpus redigeret. hoc florilegium pariter poetas quam prosae orationis scriptores complectens mox fauore hominum exceptum et ab aliis deinceps medii aeui doctis in proprium adhibitum est usum. et Tibulli quidem excerpta ex florilegio illo gallico hauserunt Vincentius Bellouacensis (circa a. 1250) in speculo doctrinali, porro auctor anonymus magni operis, cui in codice Ambrosiano P 140 sup. saec. XIII inscriptum est *Incipiunt tituli de auctoritatibus philosophorum et poetarum secundum ordinem alfabeti* (eius notitiam una cum excerptis Tibullianis debeo Guilelmo Meyero meo), tum auctor florum auctoritatum moralium primo loco ex Tibullo adlato [cf. supra p. IV], denique alii.*) a quibus medii aeui scriptoribus cum alii uersus Tibulliani nisi qui inueniuntur in florilegio gallico non adferantur, hoc ipsum illorum fontem fuisse concludendum est. et Vincentium Bellouacensem non codice aliquo integro, sed excerptis istis fuisse usum iam sat constat, postquam rectius quam Otto Richter in dissertatione sua 'de Vincentii Bellouacensis excerptis Tibullianis' Bonnae a. 1865 emissa ea de re egit Ernestus Protzen in libello academico 'de excerptis Tibullianis' [Gryphiswaldiae 1869]. neque iam oportet ut ad scolasticos illos refugiamus (id quod fecit Lachmannus, qui Vincentii testimonia sedulo attulit); ipsum enim florilegium gallicum aliquot exemplaribus seruatum etiamnunc nobis suppetit. tali aliquo exemplari iam olim usus erat I. I. Scaliger in sua Tibulli editione; nostra autem aetate primus Eduardus Woelfflin in codice Parisino 17903 (Notre-Dame 188) saec. XIII integrum florilegium repperit et de eis quae ad Tibullum pertinent disputauit in Philologi Gottingensis uol. XXVII p. 152—157. alterum codicem et aetate et bonitate potiorem, Parisinum 7647 saec. XII—XIII, adhibuit Gustauus Meyncke, qui in dissertatione omni laude digna musei Rhenani uol. XXV p. 369—392 inserta excerpta Tibulliana ita ut leguntur in libris illis Parisinis accuratissime typis repraesentanda curauit. uellem tamen alia quo-

*) Eiusdem generis atque opus illud in Ambrosiano seruatum uidetur esse *'liber qui dicitur dogma philosophorum'* in codice Mutinensi VI. A. 28, cuius notitiam itidem Meyerus nobiscum communicauit.

que florilegii exemplaria per bibliothecas maxime gallicas sparsa a Meynckio essent adhibita; scilicet ex horum consensu florilegium illud restituendum erat tale quale ex excerptoris manu prodiit. nam mirum est quot librariorum uitiis apographa Parisina scateant. sed cum Meynckii dissertatio ipsa facile possit inspici, nos abiectis friuolis nullîusque pretii sordibus tantum potiores lectiones in adnotatione critica attulimus.

Quod ad excerptorum quae uocare consueuimus Parisinorum siue potius ad florilegii gallici attinet pretium, dubia adhuc et ambigua res erat. summa quippe cum licentia excerptorem plurimis processisse locis ultro apparuit. nam non modo initia sententiarum saepenumero eis quae dissolutis ex pristino conexu iam non conueniebant liberata aliterque formata, sed etiam alia multa qualescumque ob causas audacissime in nouam speciem transmutata sunt. neque in hoc uno excerptor curam suam cohibuit ut sententia aliqua per se staret et a legentibus facile intellegeretur, sed scolae etiam, cuius usui opusculum suum destinasse uidetur, consuluit remouendo ea quae siue a sensu siue alia de causa displicebant. ut uno saltim exemplo fiat manifestum hominis illius consilium: acerrimo odio persecutus est pentametrorum clausulas trisyllabas, timens scilicet ne discipuli prauis exemplis perturbarentur peccarentque contra communem tunc grammaticorum regulam, qua uersum minorem nisi uocabulo bisyllabo non licuit claudi. itaque I 1, 50 'qui maris et tristes ferre potest pluuias' excerptor mutauit in 'q. m. e. caeli nubila ferre potest' itidemque I 5, 62; III 1, 8; II 3, 40; II 6, 20: cf. Protzenus l. l. p. 48. — quae cum ita se haberent, difficile sane et arduum erat diiudicare utrum bonae lectiones (quae tamen prae prauarum multitudine omnino sunt paucae) ad uetustum quendam et familia AV meliorem codicem redeant an ex solo excerptoris fluxerint ingenio. itaque editores non receperunt nisi lectiones omni a parte commendatas, sed reiecerunt quidquid integrorum librorum scripturis non extra dubitationem praecellebat; cf. L. Muellerus praef. ad Tib. p. XI sqq.

His ita expositis iam redeamus ad G. cuius ea est natura

ut cum excerptis Parisinis (*Par.*) consentiat fere in bonis lectionibus, ibi autem, ubi illa prauas habent, faciat cum AV. sic, ut primam perlustremus elegiam, habent:

2 multa G *Par.*: magna AV
5 uita G *Par.* (*Fris.*): uitae AV
6 assiduo G, AV: exiguo *Par.*
25 Iam modo non possum G, AV: Quippe ego iam possum *Par.*
29 bidentem G *Par.*: bidentes AV
7 seram G, AV: feram *Par.*
37 Assitis diui G, AV: Vos quoque adeste dei *Par.*
41 fructusue G *Par.*: fructusque AV
43 satis est satis est G, AV: satis est uno *Par.*
47 Aut G, AV: Et *Par.*
48 imbre G *Par.*: igne AV
49 sit G *Par.*: si AV
49 iure G, AV: rure *Par.*
50 tristes f. p. pluuias G, AV: celi nubila f. p. *Par.*
71 nec G *Par.* (*Fris.*): neque AV
78 Despiciam dites G *Par.*: Dites despiciam AV

Has lectiones si perpendimus, G ubicumque bonas quas *Par.* habent lectiones sequi uidemus. nam uu. 2, 5, 48, 49 res omnibus nunc in confesso est; u. 29 autem numerus singularis 'bidentem' quam multo sit aptior plurali quamque u. 41 'fructusue' praestet illi 'fructusque', denique u. 78 'Despiciam dites' magis esse ex usu Tibulliano [cf. I 4, 82; II 5, 105; II 6, 9], libenter mihi concedetur. contra uu. 6, 25, 7, 37, 43, 47, 49, 50 G non exhibet eas quibus *Par.* turpata sunt interpolationes. hoc quomodo explicandum est? num doctum quendam Italum excerptorum codicem nanctum adsumptis modo horum modo integrorum librorum lectionibus nouam Tibulli recensionem instituisse putabimus? hae nugae sunt. nam mira atque prorsus singulari artis criticae facultate eum Italum praeditum fuisse statuendum esset, qui tanta cum dexteritate tantoque cum iudicio elegisset bonas lectiones, spreuisset malas. immo hoc pro certo licet affirmare, ut erant tunc homines, neminem animum aduersurum fuisse ad discrepantias tam subtiles, quales sunt 5 'uita', 29 'bidentem',

41 'fructusue', 71 'nec' (quod firmant Frisingensia excerpta), quarum praestantia ex parte uel nostrae aetatis editores fugit; neminem non cupide arrepturum fuisse ea quae traditis multo erant expeditiora, ut 25 'Quippe ego iam possum'. ad summam: siquid longo diuturnoque usu doctos saeculi XV Italos noui, nullo modo eum quem in G legimus textum ab uno aliquo illorum constitui potuisse contendo. accedit altera res. nam non modo in eis particulis quae in *Par.* extant, sed etiam ubi haec nos deficiunt G solus multas praeclaras neque ulli interpolationis suspicioni obnoxias nobis tradit scripturas. quid ergo? nonne potius G ab alia quam familiam AV origine, scilicet ab eadem qua florilegium gallicum, profectum esse statuemus?

Quae si recte disputata sunt, tandem magno cum crisis Tibullianae emolumento certe licet dinoscere, quae florilegii lectiones probae quae prauae sint. nam ubicumque hae destituuntur Guelferbytani consensione, interpolationes iam manibus tenemus. itaque si uerbi gratia praebent I 8, 14 'colligat' *Par.*: colligit O*), I 9, 23 sq. 'celandi spes — Est — uetat' *Par.*: 'celanti fas — Sit — uetet' O, II 2, 15 'Indis' *Par.*: 'undis' O: has lectiones ex qualicumque excerptoris coniectura esse ortas nunc constat. rarissime autem *Par.* cum AV contra G consentiunt, ut II 1, 89; ubi quod G 'furuis', *Par.* cum AV 'fuluis' praebent: quam facili errore uocabulum uulgarius in duobus testibus simul potuerit substitui exquisitiori intellegitur. illud tamen animaduersione est dignum, in panegyrico Messallae *Par.* cum uetusto fragmento Cuiaciano (F) locis nonnullis contra G facere. nam ut omittam 39 'castrisue' et 87 'Ut' (nam num in his uersibus F idem atque *Par.* exhibuerit inde quod Scaliger ad easdem editionis Plantinianae lectiones nil adnotauit non certo licet contendere), tamen 96 'ueniat grauis' F *Par.*: 'grandis uenit' O, 102 'ut' F *Par.*: 'in' O, 104 'Dexter uti'

*) Inmerito, mihi ut uidetur, nuperrimi editores damnant illud 'colligit', recipiunt 'colligat'. recte enim Riglerus [II p. 6]: 'pedes natura longiores si crepida angustiore comprimuntur, *colligi* non inepte dicuntur. *colligat* num omnino hic poni potuerit, ualde dubito; sonat enim *colligare pedes* longe aliud.'

F *Par.*: 'Dexter≡q; ut' G, 'Dextera ut' AV praebent. sed eadem *Par.* cum G congruunt in :. ι. 39—47 collocatione praua (quam F quoque habuisse parum est probabile), porro contra disertum de F testimonium in 'et' 39, in 'aut' 97. itaque hoc dubium non est, in panegyrico quoque communem G et *Par.* originem esse; ambiguum illud, utrum is qui tribus locis supra adlatis in *Par.* cum F cernitur consensus ex felicibus excerptoris coniecturis forte fortuna effectus sit an uero hic ipsum F interdum inspexerit.

Et haec quidem hactenus. maximum autem ex G fructum eum sumus lucrati, quod iam per totum Tibulli opus duas codicum familias inter se comparare licet. et quot bonas lectiones, quae antea Puccio uel aliis Italis deberi credebantur, nunc antiquitus fuisse traditas G docet! quin sine arrogantiae periculo hoc possum contendere, inde a Scaligeri editione non maius emolumentum redundasse in crisin Tibullianam quam reciperato a nobis libro Guelferbytano.

Sed antequam fusius disseram de G et AV familiarum proprietatibus, paucis commemorabo G iam ab Italis hic illic adhibitum esse ad corrigendas alterius classis corruptelas. uelut in V manus altera ex G in elegia prima emendauit 37 'e' ('et' AV *m. 1*), 54 'ostiles' ('exiles' AV *m. 1*), 64 'Vincta' ('Iuncta' AV *m. 1*). et similiter in codd. recentissimis modo hae modo illae lectiones ex G receptae deprehenduntur. — ceterum G aliquotiens uidetur esse descriptus. nam inueniuntur nonnulli libri, in quibus cum Tibullo coniuncta est epistula Sapphus quique (quae sunt propria Guelferbytani) et in fine Tibulli uitam et id quod in AV post III 6, 64 repetitum legitur carmen IV 12 omittunt. sed horum textus cum eis quae g in G intulit correcturis tum noua corruptione nouisque adscita familia AV interpolationibus inquinatus est. mihi certe non contigit uidere alterum familiae G codicem probum. itaque praeter G non uidetur factum esse uetusti ad quod ille redit exemplaris apographon.

Iam si in comparationem uocamus G et AV familias, non desunt quidem loci quibus haec illi praestet. sic habent ex. gr. I 2, 14 'florida serta' AV: 'plurima serta' G e uersu praecedenti. sed ut iam in prima elegia G meliores quam

AV scripturas multas tradere uidimus, ita ille in ceteris quoque poematis principatum optinet. nimirum is unde **A** et **V** descripti sunt codex uetustus saepe librarii interpolationes expertus erat. increbuerat saeculis maxime XII et XIII (ut norunt qui in poetarum latinorum scriptis ad codices emendandis posuerunt operam) mos ille, quo suppositis synonymis aut totidem syllabarum eiusdemque mensurae uocabulis auctorum uerba magis ad communem tum intellectum adcommodabantur aut etiam mera uariandi lubidine inmutabantur. hinc I 1, 2 pro 'iugera multa' in **AV** habes 'iug. magna' et ibid. 54 'exiles' pro 'hostiles'; hinc I 2, 6 pro 'clauditur et dura ianua fulta sera' (quod et per se multo praestat et firmatur Ouidii [a. a. II 244] imitatione 'atque erit opposita ianua fulta sera') in **AV** ieiune languideque 'ianua firma sera' repositum est; hinc ibid. 21 'illa uiro coram uultus conferre loquaces' (quod iterum stabilitur loco Ouidiano [Am. I 4, 17] 'me specta nutusque meos uultumque loquacem'; cf. et Tibull. II 6, 43 'oculos loquaces') in **AV** refictum est in expeditius illud 'nutus conf. loquaces'; hinc ibid. 52 'aestiuas conuocet ore niues' exquisite dictum cessit in **AV** uulgari illi 'aestiuo — orbe'. et his quidem exemplis quae facile est coaceruare, id quod uolo satis efficitur: ubi **G** et **AV** inter se dissentiunt, his fere diffidendum, ab illo autem nisi ob causas grauissimas non recedendum illiusque scripturas pro germanis communis utrisque archetypi lectionibus (**O**) habendas esse.


Videndum est numquid de stirpe librorum **G** et **AV** coniectura indagari possit. et ad **G** quod attinet, eius librarium, cum scripturam imitaretur langobardicam, non fraude fecisse, ut fecerunt tum Florentiae maxime multi scribae (nam in ceteris nil ille cum his habet commune), sed uetustum exemplar quam fidelissime depinxisse autumauerim. hinc si ex filii uultu de patre facere licet coniecturam, hic nobilis saeculi X uel XI propago dicendus est. at multo recentior, ni fallimur, erat codicum **AV** parens. hunc enim cum ipsa indoles ac natura ex prole superstite perspicua, tum tituli a rubricatore carminibus praefixi quasi intento digito demonstrant saeculo XII uel XIII ortum esse. iam quaeritur, quis-

nam fuerit liber ille uetustus, quem Veronae a Pastrengico et auctore florum mor. auctoritatum inspectum esse supra [p. VI sq.] reddidimus probabile. praebet autem hic I 4, 21:

Nec iurare time Veneris periuria uenti
Irrita per terras et longa freta ferunt.

in minore uersu **A** 'et freta summa', **V** 'et "summa "freta', **G** autem 'et loca summa' tradunt discrepantia sat memorabili. nullus autem dubito quin poeta id quod **AV** habent scripserit, utpote quod magis graphice ac poetice (ut iam Dissenus Riglerusque monuerunt) dictum sit, cum contra illud 'longa' humilem glossatoris intellectum sapiat.*) sed quomodo diuersitas illa lectionis orta est? scriptum erat, ut puto, in uetere quodam libro ad corrigendum scribae errorem 'et loca $\overset{\text{freta}}{\text{summa}}$'. et is quidem qui siue **G** siue huius exemplar uetustum exarauit neglexit uoculam suprascriptam; at in altero apographo, correctura praue intellecta, 'loca freta' descriptum est. ex hoc autem 'loca freta' deinde factum esse 'longa freta' paene consectarium est; sic enim nasci solent corruptelae. artiore igitur cognationis uinculo cohaeret libri **G** genitor cum membrana quam supponimus Veronensi; nisi forte plane idem cum hac fuit. neque enim quidquam quominus hanc sequamur sententiam impedit, modo illud 'longa freta' ab ipso florum auctore pro eo quod traditum putauit 'loca freta' repositum esse statuamus.

Librorum **AV** et **G** parentes, quamquam aetate dispares, tamen fratres sunt. hoc cum multae uerborum corruptelae tum lacunae utrisque communes indicant. itaque hoc euadit stemma:



*) codex Lachmannianus *A*, qui in ceteris ab **AV** (adsumptis aliquot ex **G** lectionibus) pendet, 'freta longa' exhibet, mera hoc siue neglegentia siue interpolatione.

Codicum nobis suppetentium archetypo (quem O significaui quemque non sine probabilitate saeculo adscribemus nono) restituto, etsi id quidem consecuti sumus ut locis plurimis antea ob Italorum interpolationes dubiis iam certo de antiqua scriptura constet, uehementer tamen fallatur siquis editoris munus officiumque absolutum putet. nimirum ipse ille archetypus uitiis abundabat omnigenis. quod intellegitur comparatis aliis quae nobis adsunt subsidiis. bona enim fortuna euenit ut praeter O duo quibus ad Tibulli crisin ex parte uti licet fontes sint praesto.

Et excerpta Frisingensia (*Fris.*), extantia illa in codice nunc Monacensi 6292 saec. XI, etsi ambitu sat exiguo, summi tamen pretii sunt; nam neque uerba tradita ab excerptore inmutata et ex codice aliquantum quam O integriore et sine dubio antiquiore sumpta sunt. de quibus excerptis, postquam breuem commemorationem iniecerunt Gruterus [cf. Gebhardus ad I 2, 19] et Lachmannus [praef. p. VII], primus cum cura disseruit Luc. Muellerus in Fleckeiseni ann. a. 1869 [p. 63 sqq.]; cf. et E. Protzen l. l. p. 3 sqq. — seruant autem sola Frisingensia ut nonnullas egregias lectiones (ex. gr. I 2, 19 'molli furtim derepere lecto'), ita hic illic ueri uestigia certissima. sic I 1, 25, qui uersus post foliorum disturbationem in initio traxit mendum, *Fris.* quam proxime ad ueritatem 'iam modo iam possim' exhibent, cum in O aperta extet interpolatio. ceterum is quoque unde *Fris.* fluxerunt codex uetustus eisdem quibus O in elegia prima turbis eademque III 4, 65 lacuna laborabat (nam alioquin ibi non solum pentametrum *Fris.* haberent).

Alterum autem subsidium est fragmentum illud peruetustum, quod Scaliger Iacobo Cuiacio debebat acceptum (F). haec membrana optima nobilissimaque, quae a Lygdami elegiae quartae u. 65 incipit, a Scaligero conlata est cum editionis Plantinianae a. 1569 exemplari quodam etiamnunc in academiae Lugduno-Batauae bibliotheca adseruato [inter libros Lipsii n. 59]; in quo fragmenti lectiones litteris CC signatae sunt: cf. omnino C. M. Francken [verslagen en mededeelingen der Koninklijke akademie van wetenschapen X p. 33 sqq.] et Ed. Hillerus in musei Rhenani uol. XXIX

p. 97—106. hoc igitur exemplari (nam codex ipse aut periit aut in bibliothecae alicuius tenebris adhuc latet) utendum est ad reciperandas fragmenti lectiones; neque enim Heinsii de Scaligerana collatione testimonia, quae Lachmannus adhibuit, ex alio fonte fluxerunt [cf. Hillerus l. l.]. sed Scaliger sine dubio pro aetatis suae more tantum grauiores quae ei uidebantur libri Cuiaciani discrepantias exscripsit, omisit minores. quod acriter tenendum est, ne eis locis quibus ille nil adiecit Plantinianae scripturas pro genuinis accipiamus testimoniis. addidi tamen his quoque locis lectiones editionis illius summa cum liberalitate Ienam mihi transmissae, ne quid dubitationis restaret. — libri F praestantia, qua longe longeque ille superat O, toties elucet ut exempla congerere superfluum sit. quamquam non deesse uersus, quibus F et ipse corruptus interpolatusque sit ideoque O maiorem mereatur fidem, iam olim ['Tibull. Blätt.' p. 63] monui.

Breuiter et quasi appendicis loco hic addam, priapeorum inter carmina pseudotibulliana in F seruatorum alterum a uerbis 'Quid hoc noui est' incipiens medio aeuo opusculorum pseudouergilianorum parti alteri accessisse; cf. quae in Fleckeiseni annalibus a. 1875 p. 140 disputaui. hinc in illorum poematum codicibus nonnullis priapeum supra dictum extat; quorum antiquissimi sunt:

1) Bruxellensis 10675—76 saec. XII, quem ipse excussi;
2) Harleianus 2534 saec. XIII itidem a me inspectus;
3) tres libri Monacenses inter se simillimi, scilicet clm. 305 saec. XI—XII, 18059 saec. XII et 21562 saec. XI—XII, quorum collationem accuratissimam mihi confecit Guilelmus Meyerus. — sed his missis in iter redeamus.

F et *Fris.*, ut ad uerborum emendationem utilissima sunt et ingentem quae in O optinet deprauationem in clarissima collocant luce, ita ad textus Tibulliani historiam ulterius persequendam nihil conferunt: ubi ad O aduentum est, omni uia praecisa subsistendum est ei qui quae fata poetae nostri carmina per antiquum mediumque aeuum subierint procul habitis ariolationibus explorare uult; adeoque

abhinc omnia spissis tenebris sunt obruta, ut neque quibusnam cognationis gradibus O a F et *Fris.* tangatur neque uero ea quae ultra hos libros ascendunt tempora dispicere possimus. obscurum est igitur, quando turbae illae in nonnullis primi libri elegiis sint ortae; obscurum et illud, quo tempore acciderit ut carmina pseudotibulliana, quae in ipsa antiquitate et per medii aeui partem priorem*) seorsum a ceteris extabant, duobus elegiarum libris genuinis adnecterentur. et ut haec ita alia haud pauca, quae accurate scire multum interesset, nunc caeca teguntur caligine.

Sed illum archetypi O statum corruptum interpolatumque dum contemplor, ultro subit suspicari, aeuo fere Carolingico grammaticum nescioquem, cum codicem Tibullianum multifariam deprauatum esset nanctus, emendandi curam suscepisse. qui quod munere suscepto neglegenter leuiterque functus est, non mirabimur. omnium enim grammaticorum, si M. Valerium Probum paucosque antiquos excipimus, curae criticae scriptoribus ab illis emendatis plus nocuisse quam profuisse censendae sunt. ex tali recensione si O fluxisse sumimus, iam claret cur ibi, ubi a F et *Fris.* destituti sumus, saepe prorsus alia ratione artis criticae factitandae nobis sit utendum quam ex. gr. in Catullo emendando. huius enim codex Veronensis cum ex exemplari in fine antiquitatis et per medium aeuum grammaticorum industriam non experto profectus sit, plerumque apices rimando litterulasque premendo genuinam scripturam restituere licet. sed hac ratione in crisi Tibulliana haud raro nihil omnino proficimus propterea quod in O saepissime pro nudis uulneribus foeda atque deformia emplastra extant. neque enim grammaticus ille in orthographia**) ad suae aetatis normam reformanda

*) certe in uetere catalogo saeculi IX ab Hauptio in Hermae Berolinensis uol. III p. 221 edito legitur: 'Albi Tibulli lib. II'.

**) hinc explicandum est quod orthographiae uetustae et Tibulli tempore usitatae tam raro deprehenduntur uestigia. ueluti priscum illud *uo* pro *uu* nisi bis non inueni. nam si III 6, 44 *Fris.* 'cauere tuo', F 'cauere tuos' legunt (O hic quoque interpolatam lectionem habet 'carere tuo'), quid aliud latet quam 'cauere tuom'? porro si I 1, 27 sq. 'sub umbra Arboris ad riuos praetereuntis aquae' requiritur,

et eiusmodi minutiis se continuit, sed etiam criticum multis locis egit redigendo in aliquam formam ea quae in exemplari siue propter uetustatem omnino legi nequibant siue corruptelis deformata litteris sensu expertibus constabant, interdum etiam ea quae non intellegebat libere mutando. haec supplementa et interpolationes cum saepe in aperto sint, saepe tamen etiamnunc uiros doctos fallunt. sic in eis quae I 2, 25 leguntur:

En ego cum tenebris tota uagor anxius urbe

illud 'anxius', quidquid dicunt interpretes, corruptum est. nam neque ea quam adlatis exemplis alienis subesse uolunt significatio ('curis amoris sollicitus') subest neque omnino uocabulum ob uitandam ambiguitatem adhiberi potuit, quippe quod nemo non acciperet pro 'metuens, timidus'; id quod aperta fronte repugnat poetae sententiae. cur autem tota urbe uagatur Tibullus? nimirum amore furens; cf. Vergilius [Aen. IV 68] 'uritur infelix Dido totaque uagatur urbe furens' et [Aen. IV 300] 'saeuit inops animi totamque incensa per urbem bacchatur'; et similiter ipse Tibullus [I 5, 3] 'namque agor ut per plana citus sola uerbere turben'. dixit ergo Tibullus tale aliquid: 'tota uagor *incitus* urbe'. quid igitur? nonne 'anxius' repositum dicemus ab eo qui archetypi ductus euanidos utcumque resuscitare studeret? — altero exemplo rem inlustrabo. I 5, 65 sq. haec extant:

Pauper ad occultos furtim deducet amicos
Vinclaque de niueo detrahet ipse pede.

fuerunt inde a saeculo XV docti nonnulli qui haec in suspitionem uocarent, rectissimo illi sensu ducti. nam qui modo lenam tam acriter execratus tamque acerbe de diuite Deliae

---

ut uidit Burmannus, numerus singularis 'riuum', nonne potius 'riuom' scribemus? requiri autem singularem, res certa est. nam qui 'riuos' explicant 'riuulos passim per hortum sparsos', obliuiscuntur unicae arbori, sub qua humi stratum se fingit poeta, unicum quoque riuum conuenire; neque aliter hercle aut Lucretius V 1393 'propter aquae riuom sub ramis arboris altae' aut is qui Culicem scripsit u. 390 'riuum propter aquae uiridi sub fronde latentem' aut siqui alii hac locutione sunt usi.

amatore questus est cuiusque studium omne omni tempore id fuit ut puellam ad fidem seruandam commoueret, eundem iam credemus ultro lenonis operam praestare uelle furtimque ad occultos amicos, id est ad amatores, feminam suam deducturum? non norunt hercle Tibullum qui talia comprobant. neque uerba illa in totum quadrant locum, quo poeta non aliter quam patrono clientem Deliae se seruiturum uariaque per publicum incedenti officia praestiturum promittit (uu. 61—64). iam, quomodo ministri munere functurus sit postquam quo illi iter erat (ad 'aurificem, ad matrem aut cognatam, ad amicam' ect.) peruentum est, Tibullo uu. 65 et 66 exponendum est. rara igitur felicitate hic uerum uidit g 'amictus' reponendo; id quod in nonnullis ς receptum est. nondum tamen uersus persanatus est, cum cur 'furtim' poeta amictus deducturus sit (qua cum locutione cf. simillimae 'tunicam deducere' apud Ouidium [am. I 7, 47] et 'uestem deducere' apud Statium [Ach. I 347]) curue 'occulti' illi dicantur neutiquam perspiciatur. lege:

Pauper ad hoc cinctos raptim deducet amictus

nam illud 'ad hoc' (quod ualet 'praeterea, insuper') apprime huc conuenit, cum a minoribus ad maiora officia transeatur. ex paruo autem initio ingens illa interpolatio orta est. primitus enim leni uitio scriptum erat 'ad occultos'; hinc sciolus iste aeui Carolingici, cum praesertim certum uiae finem desiderari putaret, urendo secandoque mutauit cetera, de sententiae quam restituit peruersitate securus. quantopere autem commentum supra prolatum praestet aliorum inuentis (Statii 'et excultos furtim deducet amictus' et Heynii 'et excussos f. deducit amictus'), non est quod pluribus persequar.

Itaque in Tibulli emendatione non nimia cum anxietate insistendum est litteris, sed audaciora interdum sunt adhibenda remedia. quod non ita uelim acceptum, quasi ultima cum temeritate progrediendi summaque faciendi ima ius potestatemque nobis dari existumem. scio enim etiamnunc non paucos esse doctos, qui in nonnullis elegiis nil nisi lacera disiectaque fragmenta superesse autument. ueluti libri

primi carmen secundum (quod, si poesis Tibullianae morumque antiquorum eum quem par est respectum habes, παρακλαυσίθυρον est plane perfectum singularique arte compositum) Augustus Mau, uir ceteroquin acutus, in programmate gymnasii Glueckstadtiensis a. 1866 edito rudem laciniarum diuersissimarum molem esse statuit, nimis scilicet angusta mente singulas partes examinans neque harum perspiciens conexus, quos poetae cogitatione liberius euolantis ardor accuratius indicare saepe omisit quosque ex animi affectu, cui ille cum maxime indulget, indagari oportet. equidem in priore libro (nam alterum ab ipso Tibullo inperfecte relictum et ab eius amico quodam non sat religiose editum nunc non moror) praeter paucissimas lacunas nonnullorumque distichorum transpositiones plane necessarias nil grauius turbatum esse persuasissimum habeo. quamquam nec defuerunt qui textum Tibullianum acrioribus remediis indigere omnino negarent; sic Hauptius, etsi Haasium elegiae I 10 finem miro consilio post II 1 traicientem recte impugnauit, falsissime tamen omnibus transpositionibus carere nos posse affirmauit [opusc. III p. 35 sqq.]. nimirum hic quoque media uia tutissimi incedemus, pariter horum timiditatem atque ignauiam fugientes quam illorum leuitatem temeritatemque, qui Scaligeri summa cum licentia olim omnia commiscentis exemplum secuti nihil non in scriptore scilicet tam misere corrupto sibi permissum putant. sed qui in admouendis fortioribus transpositionum lacunarumque medellis cautione opus esse dico, idem iterum iterumque moneo ne in singulis uerbis, quando sermonis latini artisque poeticae leges aut sensus communis aut dicendi cogitandique ratio Tibulli propria aut aliae denique causae corruptelam euincunt, coniecturas reformidemus uel uiolentiores utque rationem hic ut ubique optimam sequamur ducem et demus etiam aliquid iudicii elegantiae, quae in interpretandis emendandisque poetis fere plus mentis acumine ualet.

De aliis quaestionibus maxime ad Tibulli uitam*) et

*) ea quae de Tibulli cum Delia amore l. l. disputata sunt nollem nuper inconsulte impugnasset O. Ribbeckius [mus. Rhen. XXXII 445 sqq.].

carmina libri tertii pseudotibulliana pertinentibus quoniam iam in libello a. 1876 Ienae emisso, cui inscriptum est 'Tibullische Blätter', satis superque egi, reliquum est ut pauca addam de hac editione. primarium autem officium meum duxi, de librorum **A G V** lectionibus clare et dilucide referre, ita tamen ut sordes aliquot scripturae, ex quarum notitia nullus percipitur fructus, silentio praetermitterem. omnes enim codices illi suae aetatis in scribendis uocabulis consuetudinem secuti sunt; unde habes in AV *hybernus, ymber, supprema, ortus* (pro *hortus*), *diuicias, uicium* sim., *nichil, michi, nauffragus, Affrica, occeanus*, praeterea in V *thaurus, lynpha, menbra* sim.; **A** autem semper fere, **V** plerumque *e* pro *ae* exhibent. — sed maxime **G**, quantumuis in ceteris fideliter exemplar uetustum depinxit, tamen in re orthographica sui saeculi usum refert; nam *ae*, ut plene scribere fere solet, ita et pro simplici *e* ponit praeter necessitatem (*hęrba, incęstus, lęuis, lęnis, lęna* sim.); porro haud raro *oe* pro *ae* uel *e* habet, ut *poenitet, moestus, foemina, coelum, coetera, foelicis* (*o* interdum a **g** erasum est postea) sim.; etiam *n* pro *m*, ut *nanque, autunno, solennis* (similiter *sullimis, sullatum*); tum *s* pro *x*, ut *mistus* sim.; interdum *y* pro *i* scribit, ut *tybia*; nec non *ulctor* contraque *autor*; denique adspiratio (saepe noto illo signo ⊦) addita — hic illic a **g** — in *imber, onus* sim. — ceterum *sed* ubique ex **G** dedi, cum **A** semper fere et **V** saepe *s;* (= *set*) exhibeant (etiam *Par.*) — haec igitur et eius generis alia, ut bonae cartae parcerem, omisi; et uereor, ne etiam in eis quae adscribenda putaui parcior esse potuerim. — solita autem temporibus illis compendia scripturae aut in apparatu commemorare aut hic enarrare, plane superfluum est uisum.

---

nam negando quae negari non debuerunt, scil. agi I 2, 67 sqq. de Deliae marito, et hinc falsa affirmando, nempe tempore elegiae secundae maritum illum Romae uersatum esse (quasi non uu. 43—58 de absenti olimque redituro accipi et possint et debeant), longe uir iste doctus aberrauit ab eo quod est ut simplicissimum ita uerissimum, uidelicet iam in initio amoris illius in terris longinquis commorari Deliae coniugem ideoque huius, semel et custodia superata et puellae metu dissipato, nullam omnino in elegiis tertia et quinta a poeta haberi rationem, immo pulcherrima quaeque de futura cum Delia uita sperari. sed haec aliaque pluribus refutare non tanti est.

Sed tandem finem praefandi faciamus. fruantur nouis quae offerimus bonis Tibullianae poesis amatores prudentes et aequi; nam neque sciolos curamus et contemnimus cimices istos litterarios, qui ob propriam paupertatem beatiores dente inuido adrodunt in censuris anonymis.

Dabam Ienae Kal. Septembr. a. 1877.

* * *

Subito Iena Groningam uocatus cum inter turbas, quae talem migrationem et praecedere et sequi solent, schedulas corrigendi munere ex parte raptim functus sim, nunc nonnulla habeo addenda.

I 10, 15 'aluistis et iidem' g.

II 1, 17 'agrestis' G habet.

II 1, 49 in uoce 'ingerit' iterum codice G inspecto 'i' ex 'a' correctum esse apparuit.

II 2, 5 foede erraui in adnotatione critica; nam G cum AV habet 'genius assit'; transpositionis signa g, ut uidetur, collocauit.

II 5, 47 'mihi luçeτ luceτ' G.

II 6, 15 lege 'Acer Amor'; sic enim (non 'Asper') O habet.

Lygd. 3, 10 'lethea' G quoque exhibet.

Lygd. 3, 27 'pro reditu dulci' G.

Lygd. 4, 93 G primitus 'alios', quod g in 'alias' correxit, habuisse uidetur.

Lygd. 6, 13 recepta Lipsii emendatione et librorum G *Par.* lectione scribendum est 'Ille facit mites animos deus, ille feroces contudit', ut tamen ante u. 13 lacunae signa ponantur.

Post I 1, 32 et I 2, 58 dele puncta.

Collectanea mea dum perlustro, occurrunt adnotatiunculae de duobus excerptorum Tibullianorum codicibus, ms. Leidensi Vulcan. 49 saec. XIII—XIV et Harleiano 2745 saec. XIV—XV. qui cum paucos quosdam Tibulli uersus exhibeant maxime ex *Par.* desumptos, unum [I 5, 60] in his non extantem praebent ita: 'donis uincitur omnis amans'. quod ut uerum putes, prohibet Ouidii [rem. am. 462] imitatio haec: 'successore nouo uincitur omnis amor'.

Dabam Groningae Kal. Nouembr. a. 1877.

ALBII TIBVLLI

ELEGIARVM LIBRI DVO.

INDEX SIGLORUM.

O = consensus librorum **AGV**.
A = codex Ambrosianus saec. XIV.
V = codex Vaticanus saec. XIV.
G = codex Guelferbytanus saec. XV (**g** = eiusdem manus secunda interpolatrix).
ς = lectiones codicum recentissimorum et interpolatorum, siue unius siue complurium.
Fris. = excerpta Frisingensia.
Par. = excerpta Parisina (**p** = cod. Paris. 7647, **n** = cod. Par. 17903).
F = fragmentum uetustum Cuiacianum inde a Lygdami eleg. 4, 65 (*Plant.* = editionis Plantinianae exemplar Lugdunense, in qua illius collatio Scaligerana extat).

Ceterae abbreuiationes (ut *mg. m.* 2 = in margine manu secunda) expeditu faciles. — ≡ unius litterae rasuram indicat.

ALBII TIBULLI

LIBER PRIMUS.

I.

Diuitias alius fuluo sibi congerat auro
  Et teneat culti iugera multa soli,
Quem labor assiduus uicino terreat hoste,
  Martia cui somnos classica pulsa fugent:
5 Me mea paupertas uita traducat inerti,
6   Dum meus assiduo luceat igne focus,
25 Dum modo iam possim contentus uiuere paruo

Testimonia. I 1, 2. Diomedes p. 484 K.: 'Elegia est carmen conpositum hexametro uersu pentametroque alternis in uicem positis, ut: diuitias — soli'.

I 6 adferunt Marius Victorinus p. 127, 7; Caesius Bassus p. 264, 14; Censorinus de metr. p. 612, 12 et 616, 15 Keilii.

Varietas lectionis. Albii. Tibulli. poetae. illustris. elegiarū. lib. I. incip. de. amoribus. Deliae *litt. maiusc. rubr.* **G**. Albii tibulli poetę (poete **A**) illustris liber incipit. Et primo prohemium quod (prohemium. Quod **A**) spretis diuitiis atque militia deliam amet et amori uacare prorsus uelit. Rca (℞ca *semper* **A**) **AV** *rubr.* ‖ 1—10 *habent Par.*; 1, 2, 5, 6 *Fris., quorum haec* Albii Tibulli, *illa* Tibullus in libro primo de felicitate pauperis uite *inscribunt* ‖ 1 congerat **O** *Par., Fris.*: conserat *Diomedes* (*unde* conferat *Putschius*) ‖ 2 multa **G** *Par., Fris., Diomedes:* magna **AVg** ‖ 3 exerceat *Musgravius* ‖ 4 Marcia cui sompnos *Par.* ‖ 5 uita **G** *Par., Fris.*: uitae **AV** ‖ 6 meum *Fris.* | assiduo **O**, *metrici* (*nisi quod Censorinus bis* adsiduus): exiguo *Par.*, **g** ‖ 25—36 *huc transposui*, *praeeunte ex parte Haasio*, *qui in uerno uniu. Vratisl. progr. a.* 1855 *p.* 12 *sqq* 25—34 *post* 6, 13 *et* 14 *post* 18 *traiecit. alia temptavit O. Ribbeckius in progr. uniu. Kilon. a.* 1867: *cf. libellum meum 'Tibullische Blätter' p.* 64 *sqq.* ‖ 25—34 *habent Par.*; 25, 33, 34 *Fris.* ‖ 25 Dum modo iam possim *scripsi*: Iam modo iam possim *Fris.* Iam modo non possum **O** Quippe ego iam possum *Par.* Iam mihi, iam possim *L. Muellerus praeeunte Schneidewino, coniect. crit. p.* 146

Nec semper longae deditus esse uiae,
Sed Canis aestiuos ortus uitare sub umbra
Arboris ad riuom praetereuntis aquae.
Nec tamen interdum pudeat tenuisse bidentem
Aut stimulo tardos increpuisse boues,
Non agnamue sinu pigeat fetumue capellae
Desertum oblita matre referre domum.
(At uos exiguo pecori, furesque lupique,
Parcite: de magno est praeda petenda grege:
Hic ego pastoremque meum lustrare quotannis
Et placidam soleo spargere lacte Palem);
Ipse seram teneras maturo tempore uites
Rusticus et facili grandia poma manu.
Nec Spes destituat, sed frugum semper aceruos
Praebeat et pleno pinguia musta lacu.
Nam ueneror, seu stipes habet desertus in agris
Seu uetus in triuio florida serta lapis:
Et quodcumque mihi pomum nouus educat annus,
Libatum agricolam ponitur ante deum.
Flaua Ceres, tibi fit nostro de rure corona
Spicea, quae templi pendeat ante fores;
Pomosisque ruber custos donatur in hortis,
Terreat ut saeua falce Priapus aues.
Uos quoque, felicis quondam nunc pauperis agri
Custodes, fertis munera uestra, Lares.
Tunc uitula innumeros lustrabat caesa iuuencos:
Nunc agna exigui est hostia parua soli.
Agna cadit uobis, quam circum rustica pubes
Clamet 'io messes et bona uina date'.

Var. lect. 27 aestiuos ictus *Bentleius ad Hor. sat.* I 6, 126 || 28 riuom *scripsi*: riuos **O** *Par.* riuum *Burmannus* || 29 bidentem **G** *Par.*: bidentes **V** ludentes **A** || 32 donum **V** || 34 est' **O** *Par.* **n**: *om. Fris., Par.* **p** || 7 feram *Par.* || 11 vener$\overset{o}{e}$r **G** || 12 florida **O**: florea ς || 13 donum *L. Muellerus* || 14 agricolam — deum *Puccius*: agricol(a)e — deum **O** agricolae — deo *Muretus* || 15 fit *Lambinus*, *L. Fruterius*, *ego*: sit **O** || 17 Ruber *hab. Fris.* | donatur *Lambinus*, *L. Fruterius*, *ego*: ponatur **O** || 19 felicis **GV**: felices **A** || 23 cadit *scripsi*: cadet **O** || 24 Clamat **V**

Adsitis, diui, neu uos e paupere mensa
  Dona nec e putris spernite fictilibus.
Fictilia antiquus primum sibi fecit agrestis
  Pocula de facili composuitque luto.
Non ego diuitias patrum fructusue requiro,
  Quos tulit antiquo condita messis auo:
Parua seges satis est, satis est requiescere lecto,
  Si licet, et solito membra leuare toro.
Quam iuuat immites uentos audire cubantem
  Et dominam tenero tum tenuisse sinu,
Aut, gelidas hibernus aquas cum fuderit auster,
  Securum somnos imbre iuuante sequi!
Hoc mihi contingat: sit diues iure, furorem
  Qui maris et tristes ferre potest pluuias.
O quantum est auri pereat pereantque smaragdi,
  Quam fleat ob nostras ulla puella uias.
Te bellare decet terra, Messala, marique,
  Ut domus hostiles praeferat exuuias:
Me retinent uinctum formosae uincla puellae,
  Et sedeo duras ianitor ante fores.
Non ego laudari curo, mea Delia: tecum
  Dum modo sim, quaeso segnis inersque uocer.
Te spectem, suprema mihi cum uenerit hora,

VAR. LECT. 37—51 *habent Par. praeter* 45, 46 ‖ 37 Assitis diui **O**: Uos quoque adeste dei *Par.* | neu **O**: nec *Par.* ς | e **G** *Par.* (**V** *m.* 2): et **AV** *m.* 1 ‖ 41 fructusue **G** *Par.*: fructusque **AV** ‖ 43 Parua seges satis est satis est req. **AG**, **V**. *m.* 2: Parua seges satis est req. **V** *m.* 1 *mero errore, unde uidetur orta in* ς *interpolatio, quam et* **g** *affert*: Parua satis mensa est satis est req. — Parua seges satis est uno req. *Par.* | tecto ς, *Fruterius* ‖ 44 Si licet ς: Scilicet **O** *Par.*; *erat cum conicerem* si libet | solito **O**, *Par.* **n**: soli$\overset{d}{o}$ *Par.* **p** | toro **G**: thoro **AV** *Par.* ‖ 45 Īmunes uentos **G**, Īmitis **g** ‖ 46 tum tenuisse *scripsi*: continuisse **O** detinuisse ς ‖ 47 Et *Par.* ‖ 48 imbre **G** *Par.*: igne **AV** | iuuante, *utpote sensu idoneo cassum, mutauerim in* sonante (*cf.* I 2, 80), *commendante allitteratione* ‖ 49 sit **G** *Par.*: si **AV** | iure **O**: rure *Par.* inire ς ferre *Franckenius* ‖ 50 et celi nubila ferre potest *Par.* | *pro* pluuias *Nic. Heinsius* Hyadas *maluit* ‖ 51 pereat pereantque (*uel* pereatque) *scripsi*: pereat potiusque **O** potius pereatque ς ‖ 54 $\overset{h}{o}$stiles **G**: exiles **AV** (*hic in mg. m.* 2 ostiles) | p$\overset{re}{er}$ferat **G** ‖ 59 Te ς: Et **O**

Et teneam moriens deficiente manu.
Flebis et arsuro positum me, Delia, lecto,
Tristibus et lacrimis oscula mixta dabis.
Flebis: non tua sunt duro praecordia ferro
Uincta; nec in tenero stat tibi corde silex.
Illo non iuuenis poterit de funere quisquam
Lumina, non uirgo, sicca referre domum.
Tum manes ne laede meos, sed parce solutis
Crinibus et teneris, Delia, parce genis.
Interea, dum fata sinunt, iungamus amores:
Iam ueniet tenebris Mors adoperta caput,
Iam subrepet iners aetas, nec amare decebit,
Dicere nec cano blanditias capite.
Nunc leuis est tractanda Uenus, dum frangere postes
Non pudet et rixas conseruisse iuuat.
Hic ego dux milesque bonus: uos, signa tubaeque,
Ite procul, cupidis uulnera ferte uiris.
Ferte et opes: ego composito securus aceruo
Despiciam dites despiciamque famem.

II.

Adde merum uinoque nouos compesce dolores,
Occupet ut fessi lumina uicta sopor;
Neu quisquam multo percussum tempora Baccho
Excitet, infelix dum requiescit amor.

VAR. LECT. 60 Et **O**: Te ς *sine causa secundum Ouidium, am.* III 9, 58 ‖ 63, 64 *hab. Fris.* ‖ 63 dura **V**, *corr. m.* 2 ‖ 64 Uincta **G**, *Fris.* (**V** *m.* 2 *mg.*): Iuncta **AV** *m.* 1, **g** | nec **O**: neque *Fris.* ‖ 67 Tum *Hauptius*: Tu **O** ‖ 70—72 *hab. Par.*, 71 *Fris.* ‖ 71 surrepet **GV** *Par.* **n** | nec **G** *Par.*, *Fris.*: neque **AV** | licebit ς ‖ 72 capite **O** *Par.*: capiti ς; *at cf.* I 6, 86 ‖ 73 posses **A** ‖ 74 conseruisse ς: inseruisse **O** dum seruisse *Wassenberghius* ‖ 75 uos signa *usque ad finem habent Par.* ‖ 78 Despiciam dites **G** *Par.*: Dites despiciam **AV**

II. Elegia secunda *m. rec. in* **G** *in duarum linearum interstitio.* Conqueritur quod ianua sit clausa et ad ianuam atque amasiam multis utitur blanditiis. R^ca^. **AV** ‖ 3 percussum **O**: perfusum ς | bacho **AV** ‖ 4 amor **O**: amans ς

Nam posita est nostrae custodia saeua puellae,
  Clauditur et dura ianua fulta sera.
Ianua difficilis domitu, te uerberet imber,
  Te Iouis imperio fulmina missa petant.
Ianua, iam pateas uni mihi, uicta querellis,
  Neu furtim uerso cardine aperta sones.
Et mala siqua tibi dixit dementia nostra,
  Ignoscas: capiti sint precor illa meo.
Te meminisse decet, quae plurima uoce peregi
  Supplice, cum posti florida serta darem.
Tu quoque ne timide custodes, Delia, falle.
  Audendum est: fortes adiuuat ipsa Uenus.
Illa fauet, seu quis iuuenis noua limina tentat,
  Seu reserat fixo dente puella fores:
Illa docet molli furtim derepere lecto,
  Illa pedem nullo ponere posse sono,
Illa uiro coram uultus conferre loquaces
  Blandaque compositis abdere uerba notis.
Nec docet hoc omnes, sed quos nec inertia tardat
  Nec uetat obscura surgere nocte timor.
En ego cum tenebris tota uagor incitus urbe,
. . . .
Nec sinit occurrat quisquam, qui corpora ferro

VAR. LECT. 5 nostrae] nunc **V**, *corr. m.* 2 ‖ 6 ful[illegible]ta (*eras.* c) **G**: firma **AV** ‖ 7 domitu *scripsi*: domini **O** dominae ς ‖ 9 querelis **O** ‖ 10 furtum **V**, *corr. m.* 2 ‖ 14 florida **AV**: plurima **G** *e uersu priore*; florea *Broukhusius* ‖ 17 qui iuuenis *L. Muellerus* ‖ 19 *habent Fris.* | molli furtim *Fris.*: furtim molli **O** | derepere *Fris.*: decedere **O** ‖ 21 uultus **G**: nutus **AV** ‖ 22 abdere **O**: addere ς ‖ 23 docet (o *ex corr.*) **G**: decet **AV** (*et sine dubio* **G** *m.* 1); *quod potest retineri, si uu.* 29, 30 *suo loco alienos post u.* 22 (*nam in hanc sententiam generalem quadrant*) *transposueris* | omnes* **O**: omnis ς ‖ 25 incitus *scripsi*: anxius **O** ‖ 25 *et* 27 *sine interuallo coniungunt* **A** (*mgo*: deficit), **V** *m.* 1; *interstitium reliquit* **G**. Securum in tenebris me facit esse Uenus **V** *m.* 2 *in mg. inf.*; *quem uersum supposuisse Aurispam testatur Vatic.* 2794, *qui et hoc in mg. adnotat*: Seneca uero supplet hoc pacto: praesidio noctis sentio adesse deam, *in textu autem hoc habet*: Ille deus certe dat mihi signa uiae. *denique* **g** *in interstitio addit*: Usque meum custos ad latus haeret amor, *quae uerba a Pontano ficta esse dicit Puccius. haec uel alia supplementa receperunt* ς

Uulneret aut rapta praemia ueste petat.
Quisquis amore tenetur, eat tutusque sacerque
Qualibet: insidias non timuisse decet.
Non mihi pigra nocent hibernae frigora noctis,
Non mihi, cum multa decidit imber aqua.
Non labor hic laedit, reseret modo Delia postes
Et uocet ad digiti me taciturna sonum.
Parcite luminibus, seu uir seu femina fiat
Obuia: celari uult sua furta Uenus.
Neu strepitu terrete pedum neu quaerite nomen
Neu prope fulgenti lumina ferte face.
Siquis et imprudens aspexerit, occulat ille
Perque deos omnis se meminisse neget:
Nam fuerit quicumque loquax, is sanguine natam,
Is Uenerem e rabido sentiet esse mari.
Nec tamen huic credet coniunx tuus, ut mihi uerax
Pollicita est magico saga ministerio.
Hanc ego de caelo ducentem sidera uidi,
Fluminis haec rapidi carmine uertit iter,
Haec cantu finditque solum manesque sepulcris
Elicit et tepido deuocat ossa rogo:
Iam tenet infernas magico stridore cateruas,
Iam iubet aspersas lacte referre pedem.
Cum libet, haec tristi depellit nubila caelo:
Cum libet, aestiuas conuocat ore niues.
Sola tenere malas Medeae dicitur herbas,
Sola feros Hecates perdomuisse canes.
Haec mihi composuit cantus, quis fallere posses:
Ter cane, ter dictis despue carminibus.
Ille nihil poterit de nobis credere cuiquam,
Non sibi, si in molli uiderit ipse toro.
(Tu tamen abstineas aliis: nam cetera cernet

Var. lect. 33 *conieci* Non noua nix laedit || 35 fias ς || 36 Celari — Uenus *hab. Fris.* || 37 Ne **A** || 40 omnis **G**: omnes **AV** || 41, 42 *habent Fris.* || 42 rabido *Puccius*: rapido **O** *Fris.* | sentiet **O** *Fris.*: sentiat ς || 43 coniux **G** || 46 Fulminis **g**ς || 50 lacte] **V** *in mg. m.* 2 lęte || 52 aestiuas — ore **G**: aestiuo — orbe **AV** || 54 hecates **G**: hecate **A** echatę **V** | perdonuisse **A** || 55 Nec mihi **V**, *corr. m.* 2 *mg.* || 58 thoro **AV**

Omnia: de me uno sentiet ille nihil).
Quin credam? nempe haec eadem se dixit amores
Cantibus aut herbis soluere posse meos,
Et me lustrauit taedis, et nocte serena
Concidit ad magicos hostia pulla deos.
Non ego totus abesset amor, sed mutuus esset,
Orabam; nec te posse carere uelim.
Ferreus ille fuit, qui, te cum posset habere,
Maluerit praedas stultus et arma sequi.
Ille licet Cilicum uictas agat ante cateruas,
Ponat et in capto Martia castra solo,
Totus et argento contextus, totus et auro,
Insideat celeri conspiciendus equo:
Ipse boues, modo si tecum, mea Delia, possim
Iungere et in solo pascere monte pecus;
Et, te dum liceat teneris retinere lacertis,
Mollis in inculta sit mihi somnus humo.
Quid Tyrio recubare toro sine amore secundo
Prodest, cum fletu nox uigilanda uenit?
Nam neque tunc plumae nec stragula picta soporem
Nec sonitus placidae ducere possit aquae.
Num Ueneris magnae uiolaui numina uerbo,
Et mea num poenas impia lingua luit?
Num feror incestus sedes adiisse deorum
Sertaque de sanctis deripuisse focis?
Non ego, si merui, dubitem procumbere templis
Et dare sacratis oscula liminibus,
Non ego tellurem genibus perrepere supplex

VAR. LECT. 60 ille ς: ipse **O** || 61 Quin *scripsi*: Quid **O**; *cum uulgo* Quid credam? *interpungerent, alii* Quid? credam? *proposuere. sed enim dubitationem inicere huius certe loci non est* || 66 Orabam] **V** *in mg. m.* 2 optarem || 67 posset **G**: possit **AV** || 71 contectus ς || 73 boues mea si tecum modo delia **O**, *corr.* ς. *praeterea* sim ς. *ego, cum ad illud* modo si tecum *aegre* sim *suppleatur, malim* mea sit mecum modo Delia || 74 solo *Scaliger*: solito **O** || 76 in **G**: et **AV** || 77 thoro **AV** || 79 tunc **AV**: nunc **G** tum ς || 80 possit ς: posset **O** || 81 magni **A** || 82 num **GV**: nūç **A** | luit] **V** *in mg. m.* 2 tulit || 84 diripuisse **O**, *corr.* ς || 85 *et* 88 *habent Par., mediis omissis* || 87 prorepere **G** perr^{e}ipere **V**

Et miserum sancto tundere poste caput.
At tu, qui laetus rides mala nostra, caueto:
Mox tibi non mitis saeuiet usque deus.
Uidi ego, qui iuuenum miseros lusisset amores,
Post Ueneris uinclis subdere colla senem
Et sibi blanditias tremula componere uoce
Et manibus canas fingere uelle comas;
Stare nec ante fores puduit caraeue puellae
Ancillam medio detinuisse foro.
Hunc puer, hunc iuuenis turba circumterit arta,
Despuit in molles et sibi quisque sinus.
At mihi parce, Uenus: semper tibi debita seruit
Mens mea: quid messes uris acerba tuas?

III.

Ibitis Aegaeas sine me, Messala, per undas,
O utinam memores ipse cohorsque mei:
Me tenet ignotis aegrum Phaeacia terris;
Abstineas auidas, Mors modo nigra, manus.
Abstineas, Mors atra, precor: non hic mihi mater,
Quae legat in maestos ossa perusta sinus,
Non soror, Assyrios cineri quae dedat odores
Et fleat effusis ante sepulcra comis,
Delia non usquam; quae me cum mitteret urbe,

VAR. LECT. 89—98 ***hab. Par.*** ‖ 89 Qui nimium letus *Par.* ‖ caueto mox tibi: non *multi interpungunt* ‖ 90 non mitis *scripsi*: non unus **O** et iratus *Par.* non uanus ς non uni *Itali* non uacuus *Huschkius* ‖ 91 iuuenum, u *tert. ex corr. in* **A** | lusisset **O**: dampnasset *Par.*, *ubi et* miseros iuuenum ‖ 92 suddere **V** ‖ 96 detin. *ex* deten. *corr.* **V** ‖ 97 circumterit **O**: circumdedit *Par.* circumstetit **V** *in mg. m.* 2, ς; circumstrepit *Scaliger* | arcta **O** *Par.* ‖ 99 debita **GV**: dedita **A**

III. Ad Messalam elegia tertia **G** *m. rec. in* 2 *lin. interuallo.* Ad Messalam conqueritur quod apud feacas [pheatas **V**] egrotet [egi utet **A**]. laudat aetatem primam. et [*op.* **V**] demum se ducendum ad elysios [elyos **V**] campos ait. Rubrica [R̷ca **A**] **AV** ‖ 4 mors modo nigra **O**: mors precor atra **g**ς ‖ 7 assirios **AV** ‖ 9 quae cum me **G**, *corr. signis adpositis* **g** | cum] quam *Dousa*

Dicitur ante omnes consuluisse deos.
Illa sacras pueri sortes ter sustulit, illi
Rettulit e trinis omina certa puer.
Cuncta dabant reditus: tamen est deterrita nusquam,
Quin fleret nostras respueretque uias.
Ipse ego solator, cum iam mandata dedissem,
Quaerebam tardas anxius usque moras.
Aut ego sum causatus aues aut omine diro
Saturni sacram me tenuisse diem.
O quotiens ingressus iter mihi tristia dixi
Offensum in porta signa dedisse pedem!
Audeat inuito nequis discedere Amore,
Aut sciat egressum se prohibente deo!
Quid tua nunc Isis mihi, Delia, quid mihi prosunt
Illa tua totiens aera repulsa manu,
Quidue, pie dum sacra colis, pureque lauari
Te (memini) et puro secubuisse toro?
Nunc, dea, nunc succurre mihi (nam posse mederi
Picta docet templis multa tabella tuis),
Ut mea uotiuas persoluens Delia noctes
Ante sacras lino tecta fores sedeat
Bisque die resoluta comas tibi dicere laudes
Insignis turba debeat in Pharia.
At mihi contingat patrios celebrare Penates
Reddereque antiquo menstrua tura Lari.
Quam bene Saturno uiuebant rege prius quam

VAR. LECT. 11 substulit **AV** || 12 trinis *Muretus*: triuiis **O** | omnia, *ut uid.*, **V** || 13 nusquam **GV**: nūquam **A** nostras **g** haud det. frustra est ς || 14 Quin *Aldina a.* 1502: Cum **O** | nostras] uestras **g** | respueretque ς: respiceretque **O** || 17 aut ς: dant **O** | omine diro *scripsi*: omina (omnia **V**) dira **O** dare numina diras **g** || 18 Saturni sacram **O**: Saturni aut sacram **g** Saturniue sacram *Broukhusius* || 21 nequis ς: neu quis **O** || 23 ysis **AV** || 25 dum **G**: deum **AV** (*in hoc m. 2 mg. corr.*) || 26 *inepte Tib. Deliam pure lauari se meminisse dicit, at secubuisse eam potuit cum dolore quodam meminisse. olim conieci* Et puro (memini) sec. t. *(quod praecepit Doeringius), nunc malim*: Te, puro et (memini) sec. t. | thoro **AV** || 29 Ut **AV**: Et **G** | persoluet [ns] **G** | noctes *Scáliger*: uoces **O** || 30 A. fores l. t. sacras s. **G** || 32 turba] tunica **g** || 33 *puto* celerare || 34 thura **O** || 35 priusquam **O**

Tellus in longas est patefacta uias!
Nondum caeruleas pinus conscenderat undas,
Effusum uentis praebueratque sinum,
Nec uagus ignotis repetens compendia terris
Presserat externa nauita merce ratem.
Illo non ualidus subiit iuga tempore taurus,
Non domito frenos ore momordit equus,
Non domus ulla fores habuit, non fixus in agris,
Qui regeret certis finibus arua, lapis.
Ipsae mella dabant quercus, ultroque ferebant
Obuia securis ubera lactis oues.
Non facinus, non ira fuit, non bella, nec ensem
Immiti saeuus duxerat arte faber.
Nunc Ioue sub domino caedes et uulnera semper,
Nunc mare, nunc leti mille repente uiae.
Parce, pater. timidum non me periuria terrent,
Non dicta in sanctos impia uerba deos.
Quod si fatales iam nunc expleuimus annos,
Fac lapis inscriptis stet super ossa notis:
'Hic iacet immiti consumptus morte Tibullus,
Messalam terra dum sequiturque mari.'
Sed me, quod facilis tenero sum semper Amori,
Ipsa Uenus campos ducet in Elysios.
Hic choreae cantusque uigent, passimque uagantes
Dulce sonant tenui gutture carmen aues,
Fert casiam non culta seges, totosque per agros
Floret odoratis terra benigna rosis;
Ac iuuenum series teneris immixta puellis
Ludit, et assidue praelia miscet Amor.
Illic est, cuicumque rapax mors uenit amanti,
Et gerit insigni myrtea serta coma.
At scelerata iacet sedes in nocte profunda

VAR. LECT. 37 conscenderat **g**: contempserat **O** ‖ 38 uentis **G** (**V** *m.* 2 *mg.*): ue͠ris **A** ueteris **V** *m.* 1 ‖ 47 facinus *scripsi*: acies **O** animi *Broukhusius* rabies *Burmannus* = 50 repente **G** (*et* **V** *mg. m.* 2): reperte **AV** *m.* 1 multa reperta uia ς (uia est *L. Muellerus*) ‖ 53 *malim* explebimus ‖ 54 inscriptis **O**: inscriptus *uel* his scriptus ς ‖ 58 in] ad **g** ‖ 59—62 *hab. Par.* ‖ 63 Ac **AG**: At **V** Hac ς Hic *Itali* ‖ 67—72 *hab. Par.*

Abdita, quam circum flumina nigra sonant;
Tisiphoneque implexa feros pro crinibus angues
Saeuit, et huc illuc impia turba fugit;
Tum niger in porta serpentum Cerberus ore
Stridet et aeratas excubat ante fores.
Illic Iunonem temptare Ixionis ausi
Uersantur celeri noxia membra rota,
Porrectusque nouem Tityus per iugera terrae
Assiduas atro uiscere pascit aues.
Tantalus est illic, et circum stagna; sed acrem
Iam iam poturi deserit unda sitim;
Et Danai proles, Ueneris quod numina laesit,
In caua Lethaeas dolia portat aquas.
Illic sit, quicumque meos uiolauit amores,
Optauit lentas et mihi militias.
At tu casta precor maneas, sanctique pudoris
Assideat custos sedula semper anus.
Haec tibi fabellas referat positaque lucerna
Deducat plena stamina longa colu,
Ac circa grauibus pensis affixa puella
Paulatim somno fessa remittat opus.
Tunc ueniam subito, nec quisquam nuntiet ante,
Sed uidear caelo missus adesse tibi.
Tunc mihi, qualis eris, longos turbata capillos,
Obuia nudato, Delia, curre pede.
Hoc precor, hunc illum nobis Aurora nitentem
Luciferum roseis candida portet equis.

VAR. LECT. 68 circa *Par.* ‖ 69 Tesyph. **A** Th(i)esiph. **G** Tesiph. **V**, *Par.* n. Thesiph. *Par.* p | impexa **O** *Par.* (inp. n); *corr.* ς, *Fruterius* | pro *corruptum est* (*cf. Verg. Georg.* IV 482); *num* feros (pro!) crinibus a. ? ‖ 71 Tum **G** *Par.*: Tunc **AV** | uigil in porta *Gruppius; sed latet uitium in* in porta, *pro quo* impuro *Iacobsius* informi *Bachius proposuere. praeplacet Heinsianum* intorto ‖ 73 tempt. **A**: tent. **GV** | yxionis **A** ‖ 75 titius **G**: tycios **AV** ‖ 79 danay **A** | quod **AV**: quae **G** ‖ 80 letheas **GV**: leteas **A** ‖ 82 lentas; a *ex* u *corr. in* **V** ‖ 83—88 *hab. Par.* ‖ 83 Casta precor coniunx maneas *Par.* ‖ 86 Deducas **g** | longo **V** *m.* 1 | colu *Fris.*: colo **O** *Par.* ‖ 87 Ac **O**: At *Par.* ‖ 89 Tunc **O** (*sed in* **V** *ex* Nunc *corr.*): Tum ς ‖ 91 Tunc **G** (*et* **V** *m.* 2): Nunc **AV** *m.* 1

IV.

'Sic umbrosa tibi contingant tecta, Priape,
Ne capiti soles, ne noceantue niues:
Quae tua formosos cepit sollertia? certe
Non tibi barba nitet, non tibi culta coma est,
Nudus et hibernae producis frigora brumae,
Nudus et aestiui tempora sicca Canis.'
Sic ego. tum Bacchi respondit rustica proles,
Armatus curua sic mihi falce deus.
'O fuge te tenerae puerorum credere turbae;
Nam causam iusti semper amoris habent.
Hic placet, angustis quod equum compescit habenis;
Hic placidam niueo pectore pellit aquam;
Hic, quia fortis adest audacia, cepit; at illi
Uirgineus teneras stat pudor ante genas.
Sed ne te capiant, primo si forte negabit,
Taedia: paulatim sub iuga colla dabit.
Longa dies homini docuit parere leones,
Longa dies molli saxa peredit aqua:
Annus in apricis maturat collibus uuas,
Annus agit certa lucida signa uice.
27 At si tardus eris, errabis: transiet aetas

VAR. LECT. IV. Ad priapum Elegia quarta **G** *m. rec. in* 2 *lin. interuallo.* Ad priapum de amoribus puerorum. Et execratur pecuniam pro Uenere petentes. Rca. **AV.** *hoc carmen paginis transpositis ualde esse turbatum primus intellexit Ritschelius* [*acta societ. litter. saxon. a.* 1866 *p.* 3—21], *qui hunc uersuum ordinem restituit:* 1—14; 39—56; 71, 72; 21—26; 15—20; 27—38; 73—84; 57—70. *Ritschelii argumentis maximam partem comprobatis talem equidem ordinem a Tibullo uenisse demonstraui in 'Tibullische Blätter' p.* 70—75, *qualis supra legitur transpositis uu.* 21—26 *post* 56 *et* 71—76 *ante* 57: *unum scilicet folium a librario omissum omnium turbarum causa erat* ‖ 2 noceantque **O**, *corr.* ς ‖ 3 solertia **O** ‖ 6 aestiuae **G** ‖ 7 tum **O**: tunc ς | bachi **AV** ‖ 8 sic **G** (**V** *mg. m.* 2): sit **AV** *m.* 1 ‖ 8 *hab. Fris.* | fugite puerorum *Fris.* ‖ 12 Hic placet a niueo **g**; *pronum est coniectare* Hic placet, ut niueo; *nam* placidam, *pro quo I. H. Vossius* facilem *malebat, sane displicet* ‖ 13 qua **V** ‖ *aut post* 14 *intercidit distichon aut u.* 15 *illud* Sed *emendetur oportet: cf. 'Tib. Blätter' p.* 73, *ubi proposui:* Sera haec; ne capias (pariat?) *eqs.* ‖ 17—20 *hab. Par.* ‖ 27 tardueris *Lachmannus ad Lucr. p.* 207 | *praue nonnulli post* transiet aetas *interpungunt, ut* Quam cito *iungatur sequentibus*

Quam cito! non segnis stat remanetque dies!
Quam cito purpureos deperdit terra colores,
Quam cito formosas populus alba comas!
Quam iacet, infirmae uenere ubi fata senectae,
Qui prior Eleo est carcere missus equus!
Uidi iam iuuenem, premeret cum serior aetas,
Maerentem stultos praeteriisse dies.
Crudeles diui! serpens nouus exuit annos:
Formae non ullam fata dedere moram.
Solis aeterna est Baccho Phoeboque iuuentas;
Nam decet intonsus crinis utrumque deum.
Tu, puero quodcumque tuo temptare libebit,
Cedas: obsequio plurima uincit amor.
Ne comes ire neges, quamuis uia longa paretur
Et Canis arenti torreat arua siti,
Quamuis praetexens picea ferrugine caelum
Uenturam indicat nubifer ortus aquam.
Uel si caeruleas puppi uolet ire per undas,
Ipse leuem remo per freta pelle ratem.
Nec te paeniteat duros subiisse labores
Aut opera insuetas atteruisse manus,
Nec, uelit insidiis altas si claudere ualles,
Dum placeas, humeri retia ferre negent.

VAR. LECT. 28 stat] it ς | remanetque ς: remeatque **O** remeatue ς non segni stat remeatue dies *Riglerus* ‖ 29, 30 *hab. Par.* ‖ 29 deperdit **G** *Par.*: te perdit **AV** (*sed in hoc corr. m.* 2) ‖ 30 alba *Itali*: alta **O** *Par.* ‖ 32 ^{h}eleo carcere (*om.* est) **G**, *quod fauet N. Heinsii coniecturae* Victor ab Eleo carcere. *Broukhusius* Qui prius *maluit* ‖ 33, 34 *hab. Fris.* ‖ 33 Vidi iam **AV** *Fris.*: Vidi ego iam **G** Vidi olim *Ritschelius* ‖ 35 serpens — 36 moram *hab. Par.* ‖ 36 ullam **G**: illam **AV** Sed formae nullam *Par.* ‖ 37 ba(c)cho ph(o)eboque **O**: phoebo bacchoque ς | iuuentas **AV**: iuuentus **G** iuuenta ς ‖ 38 Nam **O**: Quam *Schraderus* Hinc *Ritschelius* | utrunque **A** utrimque **V** ‖ 39 tentare **GV** | licebit **G** ‖ 40 Cedas ς: Credas **O** | uincit ς: uincet **O** ‖ 41 Ne *Ritschelius*: Neu **O** | parentur **G** ‖ 43 picea *Itali*: picta **O**; *num* spissa *?* ‖ 44 indicat *scripsi*: amiciat **A** annutiat **GV**; annutet **g** admittat **V** *m.* 2 *suprascr.* | nubifer ortus *scripsi*: imbrifer (ymbr. **V**) arcus **O**; nimbifer **g**; Eurus *Balbus* (*cf. Huschkii adn.*) ‖ 48 opera **O**: opere *uel* operi ς | atterruisse, *sed corr. m.* 2, **V**

Si uolet arma, leui temptabis ludere dextra:
Saepe dabis nudum, uincat ut ille, latus.
Tunc tibi mitis erit, rapias tunc cara licebit
Oscula: pugnabit, sed tibi rapta dabit.
55 Rapta dabit primo, mox offeret ipse roganti,
56 Post etiam collo se implicuisse uolet.
21 Nec iurare time: Ueneris periuria uenti
Irrita per terras et freta summa ferunt.
Gratia magna Ioui: uetuit pater ipse ualere,
Iurasset cupide quicquid ineptus amor:
25 Perque suas impune sinit Dictynna sagittas
26 Affirmes, crines perque Minerua suos.
71 Blanditiis uult esse locum Uenus ipsa: querellis
Supplicibus, miseris fletibus illa fauet.'
Haec mihi, quae canerem Titio, deus edidit ore:
Sed Titium coniunx haec meminisse uetat.
75 Pareat ille suae: uos me celebrate magistrum,
76 Quos male habet multa callidus arte puer.
57 Heu! male nunc artes miseras haec saecula tractant:
Iam tener assueuit munera uelle puer.
At tua, qui Uenerem docuisti uendere primus,
60 Quisquis es, infelix urgeat ossa lapis.
Pieridas, pueri, doctos et amate poetas,
Aurea nec superent munera Pieridas.
Carmine purpurea est Nisi coma: carmina ni sint,
Ex humero Pelopis non nituisset ebur.
65 Quem referent Musae, uiuet, dum robora tellus,
Dum caelum stellas, dum uehet amnis aquas.
At qui non audit Musas, qui uendit amorem,

VAR. LECT. 51 tempt A: tent. GV || 53 mihi (*mg. m.* 2 tibi) V | tunc G: cum A tum V (at. tam *m.* 2 *suprascr.*) || 54 tibi rapta *scripsi*: tamen apta O (acta apta V), *quo seruato u.* 55 Apta *Lachmannus*, *cum tamen* apta oscula *huc nondum conueniant*; male rapta *Santenius* || 55 mox O: post ς | offeret *Puccius*: afferet O at feret *Lachmannus* || 56 uelit A || 22 freta AV: loca G | summa O: longa ς ("summa "freta V) || 25 dictinna O || 71 querelis O || 72 flentibus O, *corr. Statius* || 73 titio G: ticio AV || 74 ticium AV | coniux G || 59 At tua *uel* Iam tua ς: Iam tu O At tibi *Puccius* || 61, 62 Pierides G | ne^c A || 63 est *sup. lin. add.* A || 64 non uiruisset G, *corr.* g

Idaeae currus ille sequatur Opis
Et tercentenas erroribus expleat urbes
Et secet ad Phrygios uilia membra modos.
Gloria cuique sua est: me, qui spernentur, amantes
Consultent: cunctis ianua nostra patet.
Tempus erit, cum me Ueneris praecepta ferentem
Deducat iuuenum sedula turba senem.
Eheu, quam Marathus lento me torquet amore!
Deficiunt artes deficiuntque doli.
Parce puer, quaeso, ne turpis fabula fiam,
Cum mea ridebunt uana magisteria.

V.

Asper eram et bene discidium me ferre loquebar:
At mihi nunc longe gloria fortis abest.
Namque agor, ut per plana citus sola uerbere turben,
Quem celer assueta uersat ab arte puer.
Ure ferum et torque, libeat ne dicere quicquam
Magnificum post haec: horrida uerba doma.
Parce tamen, per te furtiui foedera lecti,
Per Uenerem quaeso compositumque caput.
Ille ego, cum tristi morbo defessa iaceres,
Te dicor uotis eripuisse meis,

Testim. V. 3. Charisius p. 145, 8 K.: 'turben Tibullus: namque — turben.'

Var. lect. 68 ydee **A** ydeę **V** || 69 tercentenos — orbes *Statius* || 70 frigios **A** frygios (y *ex* i *corr.*) **V** || 74 coniux **G** || 77 Gloria cuique sua est *habent Par.* || 80 Diducat **O**, *corr.* ς | senem] domum *Scaliger* || 81 Eheu ς: He heu **A** Heu heu **GV**

V. Elegia quinta **G** *m. rec. in* 2 *lin. interuallo.* Conqueritur quod cum pro amasia uota [*om.* **V**] fecerit alter ipsam teneat et quod rusticaturus sit cum delia nec uino nec alia uenere potuerit [potuit **V**] mederi amori [amori mederi **A**]. et demum lenam et praetia deposcentes execratur. Rca. **AV** || 1 dissidium **O**, *corr.* ς || 2 sortis **A** || 3 turben *Charisius*: turbo **O** || 7 per te **G**: parce **AV** (*sed in hoc mg. m.* 2 *corr.*); te per **g**

Ipseque te circum lustraui sulphure puro,
 Carmine cum magico praecinuisset anus;
Ipse procuraui ne possent saeua nocere
 Somnia, ter sancta deueneranda mola;
Ipse ego uelatus filo tunicisque solutis
 Uota nouem Triuiae nocte silente dedi.
Omnia persolui; fruitur nunc alter amore,
 Et precibus felix utitur ille meis.
At mihi felicem uitam, si salua fuisses,
 Fingebam demens et renuente deo.
Rura colam, frugumque aderit mea Delia custos,
 Area dum messes sole calente teret,
Aut mihi seruabit plenis in lintribus uuas
 Pressaque ueloci candida musta pede,
Consuescet numerare pecus, consuescet amantis
 Garrulus in dominae ludere uerna sinu.
Illa deo sciet agricolae pro fructibus uuam,
 Pro segete spicas, pro grege ferre dapem.
Illa reget cunctos: illi sint omnia curae,
 Ac iuuet in tota me nihil esse domo.
Huc ueniet Messala meus, cui dulcia poma
 Delia selectis detrahat arboribus;
Et tantum uenerata uirum tum sedula curet,
 Tum paret atque epulas ipsa ministra ferat.
Haec mihi fingebam, quae nunc Eurusque Notusque
 Iactat odoratos uota per Armenios.
Saepe ego tentaui curas depellere uino:
 At dolor in lacrimas uerterat omne merum.
Saepe aliam tenui: sed iam cum gaudia adirem,
 Admonuit dominae deseruitque Uenus.

VAR. LECT. **11** te **O**: ter *edd.* ‖ **14** Omina **g** ‖ **16** Voca **A** | Triuiae **ς**: creme **A** chreme **V** circum **G** *et* **V** *m.* 2 *mg.* ‖ **20** et *Santenius*: sed **O** ‖ **22** terret, *sed corr.,* **V** ‖ **27** fructibus **GV**: uitibus **A** (*et* **V** *m.* 2 *mg.*) ‖ **28** segete spicas **G**: segete et spicas **AV** ‖ **29** Ill$\overset{a}{\text{ę}}$ **A** | reget (e *alt. ex corr. ?*) **G**: regat **AV** ‖ **30** Ac iuuet *Gruppius*: Adiuuet **O** (Et iuuet **V** *mg. m.* 2) At iuuet *Itali* ‖ **31** uenieṇt **A** ‖ **32** detrahet **G** ‖ **33** uirum tum *scripsi*: uirum hunc **O**; uirum nunc **ς** hunc et sedula *itemque* assecula ·i· ancilla **g** ‖ **34** Tum *scripsi*: Huic **O** Nunc **ς** | ferat *Burmannus*: gerat **O** ‖ **35** nothusq., **AV**

Tunc me discedens deuotum femina dixit,
Et (pudet, a!) narrat scire nefanda meam.
Non facit hoc uerbis: facie tenerisque lacertis
Deuouet et flauis nostra puella comis,
Qualis ad Haemonium Nereis Pelea quondam
Uecta est frenato caerula pisce Thetis.
Haec nocuere mihi. quod adest huic diues amator:
Uenit in exitium callida lena meum.
Sanguineas edat illa dapes atque ore cruento
Tristia cum multo pocula felle bibat;
Hanc uolitent animae circum sua fata querentes
Semper, et e tectis strix uiolenta canat;
Ipsa fame stimulante furens herbasque sepulcris
Quaerat et a saeuis ossa relicta lupis,
Currat et inguinibus nudis ululetque per urbes,
Post agat e triuiis aspera turba canum.
Eueniet: dat signa deus: sunt numina amanti,
Saeuit et iniusta lege relicta Uenus.
At tu quam primum sagae praecepta rapacis
Desere: nam donis uincitur omnis amor.
Pauper erit praesto semper tibi: pauper adibit
Primus et in tenero fixus erit latere,
Pauper in angusto fidus comes agmine turbae
Subicietque manus efficietque uiam,
Pauper ad occultos furtim deducet amicos
Uinclaque de niueo detrahet ipse pede.
Heu! canimus frustra, nec uerbis uicta patescit

Var. lect. 42 Et pudet a *scripsi*: Et pudet et **O** Et pudet heu *Scaliger* A pudet et *L. Muellerus* | meam *Nodellius not. crit. p.* 74: mea **O** || Talis ad hemonium (ęm. **G** om. **V**) nereis quę (que **A**) pelea q. **O**; *correxi (et ita iam Riglerus). uulgo delent* quę; *quod correctura illius* Talis *uidetur primitus* (Q.) *fuisse*; *cf. Catulli c.* 61, 17 || 46 thethis **V** || 47 *puto* Hoc nocuitque mihi quod || 50 Tristitia, *sed corr. m.* 2., **V** || 57 Eueniet **O**: Euenient ς || 61—64 *hab. Par.* || 61 praesto semper tibi *Muretus*:: pr(a)esto tibi pr(a)esto **O** praesto semper te *Par.* || 62 et in duro limine fixus erit *Par.* || 63 fides (u *supra*) **V** || 64 Subiicietq. **G** || 65 *corruptus. puto* Pauper ad hoc cinctos raptim deducet amictus | adocultos **A**; ad *ex corr. in* **G**, et **g** | amictus **g** || 67 uicta **G**: uincta **A** iuncta **V** (*sed in hoc mg. m.* 2 uicta) | fatiscit ς

Ianua, sed plena est percutienda manu.
At tu, qui potior nunc es, mea fata timeto:
Uersatur celeri Fors leuis orbe rotae.
Non frustra quidam iam nunc in limine perstat
Sedulus ac crebro prospicit ac refugit,
Et simulat transire domum, mox deinde recurrit
Solus et ante ipsas excreat usque fores.
Nescio quid furtiuus amor parat. utere quaeso,
Dum licet: in liquida nat tibi linter aqua.

VI.

Semper, ut inducar, blandos offers mihi uultus,
Post tamen es misero tristis et asper, Amor.
Quid tibi saeuitiae mecum est? an gloria magna est
Insidias homini composuisse deum?
Iam mihi tenduntur casses, iam Delia furtim
Nescio quem tacita callida nocte fouet.
Illa quidem iurata negat, sed credere durum est:

Testim. VI 7 sqq. Ouidius trist. II 447 sqq.; 'Credere iuranti durum putat esse Tibullus, Sic etiam de se quod neget illa uiro. Fallere custodes idem docuisse fatetur, Seque sua miserum nunc ait arte premi. Saepe, uelut gemmam dominae signumue probaret, Per causam meminit se tetigisse manum. Utque refert, digitis saepe est nutuque locutus, Et tacitam mensae duxit in orbe notam; Et quibus e sucis abeat de corpore liuor, Impresso fieri qui solet ore, docet. Denique ab incauto nimium petit ille marito, Se quoque uti seruet, peccet ut illa minus. Scit cui latretur, cum solus obambulet ipse; Cur totiens clausas excreet ante fores [cf. V, 74]. Multaque dat furti talis praecepta docetque, Qua nuptae possint fallere ab arte uiros.

Var. lect. 69 fata *Muretus*: furta **O** || 70 *habent Fris. et Par.* [*haec ita*: u. c. fors (sors n) leuis orbe (ore p) cito (cibo p)] || 71 Non] Nam **G** || 72 ac **O**: aut ς || 74 usque **G**: ipse **AV** || 76 nat **G**: nam **AV** (*sed in hoc mg. m.* 2 nat)

VI. Elegia sexta **G** *m. rec. in* 2 *lin. interstitio.* Conqueritur ad Amorem quod delia amet et uirum admonet quod sibi non credat et laudat deliae matrem. R^ca. **AV** || 3 saeuitiae *corruptum*; saeue puer *Itali* || 5 Iam **G**: Nam **AV** || 7 iurata *Heynius*: tam multa **O**

Sic etiam de me pernegat usque uiro.
Ipse miser docui, quo posset ludere pacto
10 Custodes: eheu nunc premor arte mea.
Fingere tunc didicit causas, ut sola cubaret,
Cardine tunc tacito uertere posse fores,
Tunc sucos herbasque dedi, quis liuor abiret,
Quem facit inpresso mutua dente Uenus.
15 At tu, fallacis coniunx incaute puellae,
16 Te quoque seruato, peccet ut illa nihil.
21 Exibit quam saepe, time, seu uisere dicet
22 Sacra Bonae maribus non adeunda deae

* * *

17 Neu iuuenes celebret multo sermone, caueto,
Neue cubet laxo pectus aperta sinu,
Neu te decipiat nutu, digitoque liquorem
20 Ne trahat et mensae ducat in orbe notas.
25 Saepe, uelut gemmas eius signumue probarem,
Per causam memini me tetigisse manum;
Saepe mero somnum peperi tibi, at ipse bibebam
Sobria supposita pocula uictor aqua.
Non ego te laesi prudens: ignosce fatenti.
30 Iussit Amor: contra quis ferat arma deos?
Ille ego sum, nec me iam dicere uera pudebit,
Latrabat tota cui tua nocte canis.
Quid tenera tibi coniuge opus? tua si bona nescis
Seruare, frustra clauis inest foribus.
35 Te tenet, absentes alios suspirat amores
Et simulat subito condoluisse caput.
At mihi seruandam credas: non saeua recuso

VAR. LECT. 8 perneget **G**, *corr.* **g** ‖ 9 lędere **G** ‖ 10 eheu *ego*: heu heu **O** ‖ 11 tunc ς: nunc **O** ‖ 12 tunc **A**: nunc **GV** tum ς ‖ 13 Tunc **O** (*sed* Tū ≣ **G**): Tum ς | succos **O** ‖ 14 inpr. **A**: impr. **GV** ‖ 15 coniux **G** ‖ 16 Te *scripsi*: Me **O** | illa minus *Itali ex Ouidio* ‖ *uu.* 17—39, *postquam L. Muellerus ita posuit*: 17—20; 25—32; 21, 22 (*lacuna*), 23, 24; 33—39, *ego in 'Tib. Blätt.' p.* 77—80 *hoc potius modo collocandos esse demonstraui*: (16) 21, 22 (*lacuna*) 17—20; 25—37; 23, 24. 39 *eqs.* ‖ 18 laxo **G**: lasso **AV** ‖ 25 gemas **V** | signumque **O**, *corr.* ς ‖ 32 Latrabat *scripsi*: Instabat **O** ‖ 33 Tua si bona nescis *et* 34 *hab. Fris.* ‖ 34 Seruare frustra **O** *Fris.*: ah (heu) *uel* ac (et) *interserunt* ς ‖ 37 At] Hanc **g**

Uerbera, detrecto non ego uincla pedum.
23 At mihi si credas, illam sequar unus ad aras:
24 Tunc mihi non oculis sit timuisse meis;
39 Tunc procul absitis, quisquis colit arte capillos,
Et fluit effuso cui toga laxa sinu;
Quisquis et occurret, ne possit crimen habere,
Stet procul atque alia se auferat ante uia.
Sic fieri iubet ipse deus, sic magna sacerdos
Est mihi diuino uaticinata sono.
Haec ubi Bellonae motu est agitata, nec acrem
Flammam, non amens uerbera torta timet:
Ipsa bipenne suos caedit uiolenta lacertos
Sanguineque effuso spargit inulta deam,
Statque latus praefixa ueru, stat saucia pectus,
Et canit euentus, quos dea magna monet.
'Parcite, quam custodit Amor, uiolare puellam,
Ne pigeat magno post didicisse malo.
Attigeris: labentur opes, ut uulnere nostro
Sanguis, ut hic uentis diripiturque cinis'.
Et tibi nescio quam dixit, mea Delia, poenam:
Si tamen admittas, sit precor illa leuis.
Non ego te propter parco tibi, sed tua mater
Me mouet atque iras aurea uincit anus.
Haec mihi te adducit tenebris multoque timore
Coniungit nostras clam taciturna manus,
Haec foribusque manet noctu me affixa proculque
Cognoscit strepitus me ueniente pedum.
Uiue diu mihi, dulcis anus: proprios ego tecum,

VAR. LECT. 38 detracto **V** || 23 cedas *pro* credas *L. Muellerus coni.* || 39 Tunc **O**: Tum ς | colis *Guietus* || 40 Et fluit ς: Effluit **O** | lassa **V** || 42 atque **G**: aut **AV** | se auferat *scripsi*: stet procul **O** Stet procul ante, alia stet procul ante uia *Statius* aut alia se occulat *Buechelerus* Sit procul aut alia stet precor ante uia *L. Muellerus* || 45 motu **G**: mota **AV** (*sed in hoc corr. mg. m.* 2) || 46 Flamam **AG** | non amens **g**: non et amans **O** || 47 uiolenta **G**: uiolata **AV** (*in hoc corr. mg. m.* 2) || 49 Statque latus praefixa ueru *hab. Fris.* || 53 Attigerit **O**, *corr. Itali* | ut *ex* et *corr.* **G** || 55 nescio quas — poenas **O**, *correxi, ut u.* 56 illa *quo referatur habeat* || 56 illa *ex* ille *corr.* **V** || 61 me *om.* **G**, *add.* **g** 63 mi dulcis anus *Scaliger* || 64 Sit *ex* Si *corr.* **V**

Sit modo fas, annos contribuisse uelim.
Te semper natamque tuam te propter amabo:
Quicquid agit, sanguis est tamen illa tuus.
Sit modo casta, doce, quam̃uis non uitta ligatos
Impediat crines nec stola longa pedes.
Et mihi sint durae leges, laudare nec ullam
Possim ego, quin oculos appetat illa meos;
Et, siquid peccasse putor, ducatque capillis
In medias properans proripiatque uias.
Non ego te pulsare uelim, sed, uenerit iste
Si furor, optarim non habuisse manus.
Nec saeuo sis casta metu, sed mente fideli:
Mutuus absenti te mihi seruet amor.
At, quae fida fuit nulli, post uicta senecta
Ducit inops tremula stamina torta manu
Firmaque conductis adnectit licia telis
Tractaque de niueo uellere ducta putat.
Hanc animo gaudente uident iuuenumque cateruae
Commemorant merito tot mala ferre senem,
Hanc Uenus ex alto flentem sublimis Olympo
Spectat et infidis quam sit acerba monet.
Haec aliis maledicta cadant: nos, Delia, amoris
Exemplum cana simus uterque coma.

VAR. LECT. 67 uicta **O**, *corr.* ς ‖ 69 sint **O**: sunt ς ‖ 70 Possim **G**: Possum **AV** ‖ 71 Ac **g** | putor ducatque *scripsi*: putat ducorque **O** *syllabarum* or *et* at *metathesi*, *quae sequentis uersus corruptionem* proripiorque *traxit.* putet **g** putor *uel* puter ς, *tum* ducarque **g** ‖ 72 In medias *Rigleru*s: Inmerito **A** Immerito **GV** | properans **G** (n *m.* 2 *suppunctum*): proprias **AV** pronas **g** *uulgo* | proripiatque (proiciatque?) *scripsi*: proripiorque **O** (pro≡rip., *eraso* r, **G**); proripiarque **g** per rapiarque *Heinsius* ‖ 75 *hab. Par.* | Ne *Par.* ‖ 77 At **A**: Ast **GV** ‖ 79 annectit **GV** | litia **G** | litia telis *hab. Fris.* ‖ 80 ducta] fila *uel* dente *uel* texta *Itali* ‖ 83 olimpo **AV** ‖ 84 quam **V** *mg. m.* 2: quod **O** $\overset{\text{ut}}{\text{quo}}$ **g**

VII.

Hunc cecinere diem Parcae fatalia nentes
  Stamina non ulli dissoluenda deo,
Hunc fore, Aquitanas posset qui frangere gentes,
  Quem tremeret forti milite uictus Atax.
Euenere: nouos pubes Romana triumphos
  Uidit et euinctos brachia capta duces;
At te uictrices laurus, Messala, gerentem
  Portabat niueis currus eburnus equis.
Non sine marte ibi partus honos: Tarbella Pyrene
  Testis et Oceani litora Santonici,
Testis Arar Rhodanusque celer magnusque Garonna,
  Carnuti et flaui garrula lympha Liger.
An te, Cydne, canam, tacitis qui leniter undis
  Caerulea ad placidas per uada serpis aquas,
Quantus et aetherio contingens uertice nubes
  Frigidus intonsos Taurus alat Cilicas?
Quid referam, ut uolitet crebras intacta per urbes
  Alba Palaestino sancta columba Syro,
Utque maris uastum prospectet turribus aequor

VAR. LECT. VII. Gratulatio de uictoria Messalę contra aquitanos. Rca. **AV**. Elegia septima **G** *m. rec. in* 2 *lin. interst.* (Natalis messalę coruini **g**) ‖ 1 diem] ducem *N. Heinsius*; *equidem* olim *scripserim.* Hoc cec. die *et u.* 3 *cum Ayrmanno* Hoc fore *Heynius. alio modo alii u.* 3 *succurrunt, ut Lachmannus* Hunc dare *coniciens* ‖ 2 Stamina *hab. Fris.* ‖ 3 Aquitanas *hab. Fris.* | frangere **G**: fundere **AV** ‖ 4 Atur *Scaliger* ‖ 6 euinctos **G**: ^in^uīctos (in *add. m. rec.*) **A** ≡uictos **V** *m.* 1, euīctos **V** *m.* 2 ‖ 7 laur^u^os **G**: lauros **AV** ‖ 8 niueis ς: nitidis **O** ‖ 9 marte ibi *scripsi* (*'Tib. Bl.' p.* 13): me est tibi **O** | honos **AV**: honor **G** | Tarbelle *Scaliger*: tua bella **O** | pirene **A** ‖ 10 littora **AV** | sancton. **A** santhon. **V** ‖ 11, 12 *hab. Fris.* ‖ rodan. **A** | Atur Duranusque *Scaliger* | g^a^eronna *Fris.*: garumna **O** garunna ς ‖ 12 Carnuti ς: Carnoti **O** Carnutis *Fris.* | garrula *Gruppius*: c(a)erula **O** *Fris.* ‖ 13 An ς: At **O** | cidne **AV** | lęniter **G** lęnior **g** | tactis q. l. uluis *Lachmannus ad Prop. p.* 504 ‖ 14 Caerulea ad placidas — aquas *scripsi*: C(a)eruleus placidis — aquis **O** Caeruleis placidus — aquis *Statius* Caeruleae placidus — aquae *Huschkius* ‖ 15 (a)ethereo **O**; *aut cum* ς aerio *aut mecum* aetherias *restitue* ‖ 16 alat *Itali*: arat **O** | cilices **G**

Prima ratem uentis credere docta Tyros,
Qualis et, arentes cum findit Sirius agros,
Fertilis aestiua Nilus abundet aqua?
Nile pater, quanam possum te dicere causa
Aut quibus in terris occuluisse caput?
Te propter nullos tellus tua postulat imbres,
Arida nec Pluuio supplicat herba Ioui.
Te canit atque suum pubes miratur Osirim
Barbara, Memphiten plangere docta bouem.
Primus aratra manu sollerti fecit Osiris
Et teneram ferro sollicitauit humum,
Primus inexpertae commisit semina terrae
Pomaque non notis legit ab arboribus.
Hic docuit teneram palis adiungere uitem,
Hic uiridem dura caedere falce comam;
Illi iocundos primum matura sapores
Expressa incultis uua dedit pedibus.
Ille liquor docuit uoces inflectere cantu,
Mouit et ad certos nescia membra modos;
Bacchus et agricolae magno confecta labore
Pectora tristitiae dissoluenda dedit.
Bacchus et afflictis requiem mortalibus affert,
Crura licet dura compede pulsa sonent.
Non tibi sunt tristes curae nec luctus, Osiri,
Sed chorus et cantus et leuis aptus amor,
Sed uarii flores et frons redimita corymbis,
Fusa sed ad teneros lutea palla pedes
Et Tyriae uestes, set dulci tibia cantu

TESTIM. 29—32 affert scholiasta Iuuenalis ad sat. VIII 29.

VAR. LECT. 20 dicta **g** || 21 syrius **GV** || 22 habundet **V** | possum **G**: possim **AV** || 27 *puto* tuum | osyrim **O** || 28 memphite≡n (*erat* m) **G**: memphitem **AV** | 29 aratrum *schol. Iuu.* | solerti **O** *schol. Iuu.* | osyris **O** || 30 teneram] cinerem *schol. Iuu.* || 31 prius *idem* || 32 ab] in **G** || 35 iocundos *hab. Fris.*; *et ita* **AV**: iucundos **G** || 41 *hab. Fris., ita ut* affer *praebeant* || 42 compede (ompe *ex corr.*) **G**: cuspide **AV** *et sine dubio* **G** *primitus* | pulsa **O**: pressa *uel* uincta ς || 43 osyri **O** || 45 redimita corimbis *hab. Fris.*; chorimbis **AV** || 47 set *scripsi*: et **O** | dulci **G**: dulcis **AV**

Et leuis occultis conscia cista sacris.
Huc ades et Genium ludo Geniumque choreis
Concelebra et multo tempora funde mero:
Illius ec nitido stillent unguenta capillo,
Et capite et collo mollia serta gerat.
Sic uenias hodierne: tibi dem turis honores,
Libem et Mopsopio dulcia mella fauo.
At tibi subcrescat proles, quae facta parentis
Augeat et circa stet uenerata senem.
Nec taceat monumenta uiae, quem Tuscula tellus,
Candida quem antiquo detinet Alba Lare.
Namque opibus congesta tuis hic glarea dura
Sternitur, hic apta iungitur arte silex.
Te canit agricola, *a* magna cum uenerit urbe
Serus inoffensum rettuleritque pedem.
At tu, Natalis multos celebrande per annos,
Candidior semper candidiorque ueni.

VIII.

Non ego celari possum, quid nutus amantis
Quidue ferant miti lenia uerba sono.
Nec mihi sunt sortes nec conscia fibra deorum,
Praecinit euentus nec mihi cantus auis:
Ipsa Uenus magico religatum brachia nodo
Perdocuit multis non sine uerberibus.
Desine dissimulare: deus crudelius urit,

VAR. LECT. 49 genium ludo *Heynius*: centum ludos **O** ‖ 51 ec *scripsi*: et **O** e ς ‖ 53 thuris **O** ‖ 54 Libem **G**: Liba **AV** | mosopio **AV** mesopio **G** | mella **O** (*sed in* **G** a *ex corr.*): melle ς | fauo **G**: feram **AV** ‖ 55 subcr. **A**: succr. **GV** ‖ 56 uenerata ς: ueneranda **O** uenerande *L. Muellerus* ‖ 57 Nec **GV**: Ne **A** | quem *Itali*: que **A** quae **GV** | 58 Candida quem *Broukhusius*: Candida quae **G** (q̄ *ex corr. ?*) Candidaque **AV** ‖ 61 canet ς | a *addidi*: *om.* **O** e ς ‖ 62 retul. **A**

VIII. Elegia octaua **G** *m. rec. in* 2 *lin. interu.* (Hęc elegia est de amoribus Marathi adolescentis **g**). Conqueritur de Pholoe dilecta a maratho exortans eam [*om.* **A**] ad concubitum cum puero. R^{oa}. **AV** ‖ 1 celari **G**: celare **AV** | amoris ς ‖ 2 ferat **A** | lęnia **G** leuia **A** ‖ 5 braçchia **A**

Quos uidet inuitos succubuisse sibi.
Quid tibi nunc prodest molles coluisse capillos
Saepe et mutatas disposuisse comas,
Quid suco splendente genas ornare, quid ungues
Artificis docta subsecuisse manu?
Frustra iam uestes, frustra mutantur amictus,
Ansaque compressos colligit arta pedes.
Illa placet, quamuis inculto uenerit ore
Nec nitidum tarda compserit arte caput.
Num te carminibus, num te pollentibus herbis
Deuouit tacito tempore noctis anus?
Cantus uicinis fruges traducit ab agris,
Cantus et iratae detinet anguis iter,
Cantus et e curru Lunam deducere tentat,
Et faceret, si non aera repulsa sonent.
Quid queror heu misero carmen nocuisse, quid herbas?
Forma nihil magicis utitur auxiliis:
Sed corpus tetigisse nocet, sed longa dedisse
VIII 26 Oscula, sed femori conseruisse femur.
IX 39 Quid faciam? sis ipse potens in amore puellae,
Sit, precor, exemplo sit leuis illa tuo.
O quotiens, uobis ne quisquam conscius esset,
Ipse comes multa lumina nocte tuli!

TESTIM. 20. Charisius p. 90, 14 K.: 'Anguis cum sit masculini generis, dixerunt tamen et feminini, ut Tibullus: iratae detinet anguis.

26. Charisius p. 87, 3: 'ideoque et Tibullus hoc ipsum erudite custodit, cum dicit: implicuitque femur femini' idemque p. 130, 36: 'Femini Tibullus: implicuit ['que' add. Fabricius] femur femini.'

VAR. LECT. 9—14 *hab. Par.* ‖ 9 prodest molles **G** *Par.*: molles prodest **AV** ‖ 10 Saepe et **G** *Par.*: Saepeque **AV** ‖ 11 succo **G** suçco *Par.* **p**: fuco **AV** *Par.* **n** | genas *Itali*: comas **O** *Par.* | ornasse *Itali* onerasse *Scaliger* ‖ 14 colligit **O**: colligat *Par.* | arcta **O** *Par.* | Arctaque constrictos cogit aluta pedes *Aldina a.* 1502 ‖ 17 pollentibus (o *ex* a *corr.*) **G**: pallentibus **AV** ‖ 18 tacite **V** *m.* 2 ‖ 26 femini *Statius ex Charisio* ‖ *post* 26 *inserui uersus sex, qui sunt in* **O** IX 39—44: *cf.* '*Tib. Blätt.*' *p.* 80—85 ‖ IX 39 faciam **AV**: faceres **G** *et* **V** *m.* 2 *mg.* | sis ipse potens *scripsi*: nisi et ipse fores **O** ‖ 40 Sit **AV**: Sic **G** Sed ς | sit **G**: s; **A** sed **V** ‖ 41 uobis *Statius, ego*: uerbis **O**

Saepe insperanti uenit tibi munere nostro,
IX 44 Sed latuit clausas post adoperta fores.
VIII 27 Nec tu difficilis puero tamen esse memento:
Persequitur poenis tristia facta Uenus.
Munera ne poscas: det munera canus amator,
Ut foueat molli frigida membra sinu.
Carior est auro iuuenis, cui leuia fulgent
Ora nec amplexus aspera barba terit.
Huic tu candentes humero suppone lacertos,
Et regum magnae despiciantur opes.
Ac Uenus inueniet puero concumbere furtim
Cum tumido et teneros conserere usque sinus
Et dare anhelanti pugnantibus humida linguis
Oscula et in collo figere dente notas.
Non lapis hanc gemmaeque iuuant, quae frigore sola
Dormiat et nulli sit cupienda uiro.
Heu sero reuocatur amor seroque iuuentas,
Cum uetus infecit cana senecta caput.
Tunc studium formae est; coma tunc mutatur, ut annos
Dissimulet uiridi cortice tincta nucis;
Tollere tunc cura est albos a stirpe capillos
Et faciem dempta pelle referre nouam.
At tu, dum primi floret tibi temporis aetas,
Utere: non tardo labitur illa pede.
Neu Marathum torque: puero quae gloria uicto est?
In ueteres esto dura, puella, senes.
Parce precor tenero: non illi sontica causa est,

Var. lect. IX 44 Sed **O**: Et **g** | clausos **V** || VIII 29 ne **O**: nec ς || 30 foueat **O**: foueas ς || 31 lenia **V**, *corr. m.* 2; leuia (u *ex corr.*) **G** || 35 Ac *scripsi*: At **O** | inuenit **O**, *corr. Scaliger* | concumbere **O**: succumbere ς || 36 Cum tumido *scripsi*: Dum timet **O** Dum tumet *Scaliger* | conserere *Heynius*: conserit **O** || 37 anhelantim *Itali* || 39 iuuantque **A** | iuuent *Scaliger* || 41 iuuentas **A** (*sed* s *suppunctum*), **G** *et* **V** *m.* 2: iuuenta **V** *m.* 1, ς iuuentus ς || 43—46 *habent Par.* || 43 Tunc *ego*: Tum **AV** Nunc **G** *Par.* | est **O** *Par.*: *uulgo dest* | tunc **AV**: nunc **G** *Par.* || 44 Dissimilet **A** || 45 Tollere *in ras.* **G** | tunc **AV**: nunc **G** *Par.* | a *in ras.* **G** || 48 Neu **G** (*et* **V** *m.* 2): Seu **AV** *m.* 1 | torq̄ **A** || 51 sontica **G**: sentita **AV** (*hic mg. m.* 2: sentita. in exemplari uero sentica); sontica *hab. etiam Fris.*

Sed nimius luto corpora tingit amor.
Heu, miser absenti maestas quam saepe querellas
Conicit et lacrimis omnia plena madent!
'Quid me spernis?' ait. 'poterat custodia uinci:
Ipse dedit cupidis fallere posse deus.
Nota Uenus furtiua mihi est, ut lenis agatur
Spiritus, ut ne dent oscula rapta sonum;
Et possum media quamuis obrepere nocte
Et strepitu nullo clam reserare fores.
Quid prosunt artes, miserum si spernit amantem
Et fugit ex ipso saeua puella toro?
Uel cum promittit, subito sed perfida fallit,
Est mihi nox multis euigilanda malis.
Dum mihi uenturam fingo, quodcumque mouetur,
Illius credo tunc sonuisse pedes.'
Desistas lacrimare, puer: non frangitur illa,
Et tua iam fletu lumina fessa tument.
Oderunt, Pholoe, moneo, fastidia diui,
Nec prodest sanctis tura dedisse focis.
Hic Marathus quondam miseros ludebat amantes,
Nescius ultorem post caput esse deum;
Saepe etiam lacrimas fertur risisse dolentis
Et cupidum ficta detinuisse mora:
Nunc omnes odit fastus; nunc displicet illi,
Quaecumque opposita est ianua dura sera.
At te poena manet, ni desinis esse superba.
Quam cupies uotis hunc reuocare diem!

VAR. LECT. 52 luto *Itali*: luteo **O** | corpora **AV**; *in* **G** a *ex corr.*; corpore **V** *mg. m.* 2 || 53 Heu *scripsi*: Vel **O** Vae *Itali* Ah *Heinsius* | querelas **O** || 54 Coniicit **G** || 57 lęnis **G** lenis **V** *m.* 2: leuis **AV** *m.* 1 | 58 ut ne ≡ (*erasa una litt.*) **G**: ut nec **AV** || 60 strepitu **AV**: sonitu **G** || 61 prosunt **G**: possunt **AV** (*sed in utroque m.* 2 *mg.* prosunt *adnotatum*) || 62 thoro **AV** || 66 pedes **O**: pedem ς || 69 pholoe≡ **G**, pholoes **V** *m.* 2 || 70 thura **O** || 71 maratus **A** || 73 lacrimas **O**: lacrimis ς

IX.

Quid mihi, si fueras miseros laesurus amores,
Foedera per diuos, clam uiolanda, dabas?
A miser, et siquis primo periuria celat,
Sera, tamen tacitis poena uenit pedibus.
Parcite, caelestes: aequum est impune licere
Numina formosis laedere uestra semel.
Lucra petens habili tauros adiungit aratro
Et durum terrae rusticus urget opus,
Lucra petituras freta per parentia uentis
Ducunt instabiles sidera certa rates:
Muneribus meus est captus puer. at deus illa
In cinerem et liquidas munera uertat aquas.
Iam mihi persoluet poenas, puluisque decorem
Detrahet et uentis horrida facta coma,
Uretur facies, urentur sole capilli,
Deteret inualidos et uia longa pedes.
Admonui quotiens: ʻauro ne pollue formam:
Saepe solent auro multa subesse mala.
Diuitiis captus siquis uiolauit amorem,
Asperaque est illi difficilisque Uenus.
Ure meum potius flamma caput et pete ferro
Corpus et intorto uerbere terga seca.
Nec tibi celandi spes sit peccare paranti:
Est deus, occultos qui uetat esse dolos.
Ipse deus tacito permisit lene ministro,

VAR. LECT. IX. Dilecti pueri fidem pretio corruptam conqueritur multa deuouens in eum. R^ca^. **AV**. Elegia ·IX· **G** *m. rec. in* 2 *lin. interst.* ‖ 1 amores] s *m.* 2 *add.* **V** ‖ 3, 4 *hab. Par.* ‖ 3 Ah **GV** Ha **A** *Par.* | et siquis **O**: etsi quis **g**, **V** *m.* 2 est si quis *Par.* ‖ 7—10 *hab. Par.* ‖ 8 urguet **G** ‖ 9 petituras **G** *Par.* (*et* **V** *m.* 2): petituros **AV** *m.* 1 ‖ 18 *habent Fris.* ‖ 19 Diuiciis **A** O uiciis (*corr. mg. m.* 2) **V** ‖ 21 flama **GV** ‖ 23, 24 *hab. Par.* ‖ 23 celandi spes *Par.*: celanti fas **O** ‖ 24 Est *Par.*: Sit **O** | uetat *Par.*: uetet **O**. *erunt tamen qui horum uersuum emendationem ab excerptorum redactore non sat feliciter perfectam autument*; *et multo leniore remedio legere possis siue*: nec tibi celandi fas sit, peccare paranti Sist (= siquidem est) deus, occultos qui uetet esse dolos *siue*: n. t. c. f. sit: p. p. Stat deus o. q. u. e. d. ‖ 25 leue **AV** (lene **V** *m.* 2) lęne **G** lena *uel* leua ς saepe *Itali* uela *Scaliger* lora *Santenius* frena *Huschkius* nonne *Lachmannus* lingua *Riglerus*

Ederet ut multo libera uerba mero;
Ipse deus somno domitos emittere uocem
Iussit et inuitos facta tegenda loqui.'
Haec ego dicebam: nunc me fleuisse loquentem,
Nunc pudet ad teneros procubuisse pedes.
Tunc mihi iurabas nullo te diuitis auri
Pondere, non gemmis uendere uelle fidem,
Non tibi si pretium Campania tota daretur,
Non tibi si Bacchi cura Falernus ager.
Illis eriperes uerbis mihi sidera caeli
Lucere et puras fulminis esse uias.
Quin etiam flebas: at non ego fallere doctus
Tergebam humentes credulus usque genas.
Tum miser interii, stulte confisus amari:
Nam poteram ad laqueos cautior esse tuos.
Quin etiam attonita laudes tibi mente canebam,
At me nunc nostri Pieridumque pudet.
Illa uelim rapida Uulcanus carmina flamma
Torreat et liquida deleat amnis aqua.
Tu procul hinc absis, cui formam uendere cura est
Et pretium plena grande referre manu.
At te, qui donis puerum corrumpere es ausus,
Rideat assiduis uxor inulta dolis,
Et cum furtiuo iuuenem lassauerit usu,
Tecum interposita languida ueste cubet.
Semper sint externa tuo uestigia lecto,
Et pateat cupidis semper aperta domus;
Nec lasciua soror dicatur plura bibisse
Pocula uel plures emeruisse uiros.

VAR. LECT. 27, 28 *habent Par.* ‖ 31 nullo te **G**: nullo tibi **AV** nullius ς ‖ 33 tota **G**: terra **AVg** ‖ 34 bachi **AV** | phalernus **G** ‖ 35 eriperes **G**: eriperet **AV** ‖ 36 fulminis **G**: fluminis **AVg** ‖ 39—44, *qui secuntur in* **O**, *post* VIII 26 *posui* ‖ 45, 46 *hab. Fris.* ‖ 45 Tum **O**: O *Fris.*, *unde* A *L. Muellerus* | confixus *Fris.* ‖ 48 At ς: Et **O** Ut ς ‖ 49 flama **GV** ‖ 51, 52 *hab. Par.* ‖ 51 Sit procul a nobis formam cui u. c. e. *Par.* ‖ 53 donis puerum **G**: puerum donis **AV** ‖ 60 emeruisse, *cum id quod hic flagitatur 'emeritos reddidisse' non possit significare, corruptum uidetur*; *fort.* enecuisse

Illam saepe ferunt conuiuia ducere Baccho,
  Dum rota Luciferi prouocet orta diem;
Illa nulla queat melius consumere noctem
  Aut operum uarias disposuisse uices.
At tua perdidicit: nec tu, stultissime, sentis,
  Cum tibi non solita corpus ab arte mouet.
Tune putas illam pro te disponere crines
  Et tenues denso pectere dente comas?
Ista haec persuadet facies, auroque lacertos
  Uinciat et Tyrio prodeat apta sinu?
Non tibi, sed iuueni cuidam uult bella uideri,
  Deuoueat pro quo remque domumque tuam.
Nec facit hoc uitio, sed corpora foeda podagra
  Et senis amplexus culta puella fugit.
Huic tamen accubuit noster puer: hunc ego credam
  Cum trucibus Uenerem iungere posse feris.
Blanditiasne meas aliis tu uendere es ausus,
  Tune aliis demens oscula ferre mea?
Tum flebis, cum me uinctum puer alter habebit
  Et gerit in regno regna superba tuo.
At tua tum me poena iuuet, Uenerique merenti
  Fixa notet casus aurea parma meos:
'Hanc tibi fallaci resolutus amore Tibullus
  Dedicat et grata sis, dea, mente rogat.'

VAR. LECT. 61 ferant **g** | conuiuia *ex* conuiuam *corr.* **V** | bacho **AV** || 64 Atque *Itali* | *malim* operis || 65 At] Aut **V** (Haec *mg. m.* 2); *malim* Hinc || 67 putes **G** || 68 Et **G**: Aut **AV** | pectore **V** *m.* 1 || 69 Ista haec **G**: Ista **AV** (*sed in hoc mg. m.* 2 haec *add.*) | *puto* auro utque; *et ita Riglerus quoque* | 69, 70 *post* 72 *posuit L. Muellerus* || 73 Nec **AG**: Hec, *corr. mg. m.* 2, **V** Non ς || 75 Huic ς: Hunc **O** || 79 Tum ς: Tunc **O** || 80 regno **O**: gremio *Itali* || 81 tum **g**: dum **O** | pęne **V**, *corr. m.* 2 || 82 parma] palma **O** *uulgo*.

X.

Quis fuit, horrendos primus qui protulit enses?
  Quam ferus et uere ferreus ille fuit!
Tum caedes hominum generi, tum praelia nata,
  Tum breuior dirae mortis aperta uia est.
At nihil ille miser meruit: nos ad mala nostra
  Uertimus, in saeuas quod dedit ille feras.
Diuitis hoc uitium est auri, nec bella fuerunt,
  Faginus astabat cum scyphus ante dapes.
Non arces, non uallus erat, somnumque petebat
  Securus uarias dux gregis inter oues.
Tunc mihi uita foret dulcis, nec tristia nossem
  Arma nec audissem corde micante tubam.
Nunc ad bella trahor, et iam quis forsitan hostis
  Haesura in nostro tela gerit latere.
Sed patrii seruate Lares: aluistis et idem,
  Cursarem uestros cum tener ante pedes.
Neu pudeat prisco uos esse e stipite factos:
  Sic ueteris sedes incoluistis aui.
Tunc melius tenuere fidem, cum paupere cultu
  Stabat in exigua ligneus aede deus.
Hic placatus erat, seu quis libauerat uuam
  Seu dederat sanctae spicea serta comae;
Atque aliquis uoti compos liba ipse ferebat
  Postque comes purum filia parua fauum.

VAR. LECT. X. Albii. Tibulli. poetae. itt. de. amoribus. nẽmesis. liber II *litt. maiusc. rubr.* **G** *miro errore.* Detestatur bella laudans etatem primam [pr. et. **V**] et pacem. Rca. **AV** ‖ 1—10 *hab. Par.* ‖ 3 Tum *Par.*: Tunc **O** | tum **AV** *Par.*: tunc **G** ‖ 4 Tunc **G** Et *Par.* ‖ 5 At **G**: An **AV** Ah *J. H. Vossius* | Forsan et ille nihil meruit *Par.* ‖ 8 aptabat *Par.* | scyphus **G**: ciphus **AV** *Par.* **p**; sciphus *Par.* **n** *et, quae hoc uocabulum exhibent, Fris.* | dapes] merum *Par.* ‖ 10 uarias] saturas *Heinsius* uacuas *Broukhusius*; *malim* sparsas ‖ 11 dulcis *Heinsius:* uulgi **O** ‖ 12 micante] tremente **V** *m.* 2 ‖ 15 *fortasse* aluistis eidem ‖ 17 e **O**: a ς ‖ 18 ueteris ς: ueteres **O** ‖ 21 uua **A** uuam *ex* unam *corr. m.* 2 **V** ‖ 23 ipse **g**: ipsa **O**

At nobis aerata, Lares, depellite tela,

* * *

Hostiaque e plena mystica porcus hara.
Hanc pura cum ueste sequar myrtoque canistra
Uincta geram, myrto uinctus et ipse caput.
Sic placeam uobis: alius sit fortis in armis,
Sternat et aduersos Marte fauente duces,
Ut mihi potanti possit sua dicere facta
Miles et in mensa pingere castra mero.
Quis furor est atram bellis arcessere mortem?
Imminet et tacito clam uenit illa pede.
Non seges est infra, non uinea culta, sed atrox
Cerberus et Stygiae nauita turpis aquae;
Illic percussisque genis ustoque capillo
Errat ad obscuros pallida turba lacus.
Quam potius laudandus hic est, quem prole parata
Occupat in parua pigra senecta casa!
Ipse suas sectatur oues ac filius agnos,
Et calidam fesso comparat uxor aquam.
Sic ego sim, liceatque caput candescere canis,
Temporis et prisci facta referre senem.
Interea Pax arua colat. Pax candida primum

VAR. LECT. *nulla inter* 25 *et* 26 *in* **O** *lacuna;* **g** *signo inter utrumque facto hos in margine inferiore adscripsit uersus*:

Neu petat hostili missa sagitta manu
Neu gladio celer instet eques. prosit ^mihi^ et aris
Quęque tuli supplex munera quęque feram.
Thure pio caleantque foci pinguisque trahatur

quos uersus a Pontano interiectos esse affirmat Puccius. ille igitur hiare locum optime intellexit ‖ 26 Hostiaque e **O**: Hostia de **g** Hostia erit ς | mystica **G**: rustica **AVg**; *fort.* myrtea *coll. Lygd.* 4, 28 ‖ 27 mirtoque **AV**: myrtisque **G** | sinistro (*m.* 2 *mg.* canistra) **V** ‖ 27 Hunc *Itali* ‖ 28 mirto **AV** ‖ 30 aduersos **G** (*et* **V** *m.* 2): aduerso **AV** ‖ 33—50 *habent Par.* ‖ 33 arcessere **G** *Par.*: accersere **AV** (*sed in hoc mg. m.* 2 arcessere) ‖ 35 atrox *scripsi*: audax **O** *Par.* ‖ 36 stigi(a)e **AV** *Par.* | turpis ς: puppis **O** *Par.* (pupis **p** pauppis **n**) ‖ 37 percussisque **O**: perscissisque *Par.* perculsisque ς exesisque *Heinsius* pertusisque *Livineius* ‖ 39 Quam **G** (*et* **V** *m.* 2): Quin **AV** *m.* 1. | hic est **O** *Par.*: et est **V** *m.* 2 et hic ς ‖ 40 Occulit *Par.* ‖ 41 ac *scripsi*: at **A** *Par.* ut **V** aut **G** ‖ 43 candescere **AV** *Par.* **g**: can≡escere **G** ‖

Duxit araturos sub iuga panda boues;
Pax aluit uites et sucos condidit uuae,
Funderet ut nato testa paterna merum;
Pace bidens uomerque uigent, at tristia duri
Militis in tenebris occupat arma situs;

* * *

Rusticus e lucoque uehit, male sobrius ipse,
Uxorem plaustro progeniemque domum.
Sed Ueneris tunc bella calent, scissosque capillos
Femina perfractas conqueriturque fores;
Flet teneras subtusa genas, sed uictor et ipse
Flet sibi dementes tam ualuisse manus.
At lasciuus Amor rixae mala uerba ministrat,
Inter et iratum lentus utrumque sedet.
A! lapis est ferrumque, suam quicumque puellam
Uerberat: e caelo deripit ille deos.
Sit satis e membris tenuem rescindere uestem,
Sit satis ornatus dissoluisse comae,
Sit lacrimas mouisse satis: quater ille beatus,
Quo tenera irato flere puella potest.
Sed manibus qui saeuus erit, scutumque sudemque
Is gerat et miti sit procul a Uenere.
At nobis, Pax alma, ueni spicamque teneto,
Perfluat et pomis candidus ante sinus.

VAR. LECT. 46 panda **G** *Par.*: curua **AV** ‖ 47 succos **O** *Par.* ‖ 49, 50 *ante* 47, 48 *collocabat Bubendey, quaestt. Tibull., p.* 28 ‖ 49 bidens **G** *Par.* (*et* **V** *m.* 2 *mg.*): nitens **AV** | uomerque uigent **G**: uomerque (nomenque **n**) nitet (uitet **p**) sed t. d. *Par.* uomer uiderit **AV** *m.* 1 (**V** *m.* 2 uomerque uigent) uomerque nitent *Guietus* ‖ 50 occupat **AV** *Par.*: occupet **G** ‖ *post* 50 *lacunae signa posuit Hauptius* ‖ 51 e lucoque uehit **G** (*et* **V** *m.* 2): elutoque uehit **AV** *m.* 1 eluco reuehit *Carrio* (*cf. Fruterii ueris. p.* 18) | ipse ϛ: ipso **O** ‖ 58 utrunque **AV** ‖ 59 Ah **V**: Ha **A** At **G** ‖ 60 diripit **O**, *corr. Itali* ‖ 61 rescindere ϛ, *Heinsius*: perscindere **AV** praescindere **G** ‖ 62 ornatus — comae **O**: ornatas — comas ϛ ‖ 64 Quoi *Dousa* ‖ 68 Perfluat ϛ: Prefluat **AV** Profluat **G** Perpluat *Heinsius*

ALBII TIBULLI

LIBER SECUNDUS.

I.

Quisquis adest, faueat: fruges lustramus et agros,
  Ritus ut a prisco traditus extat auo.
Bacche, ueni, dulcisque tuis e cornibus uua
  Pendeat, et spicis tempora cinge, Ceres.
Luce sacra requiescat humus, requiescat arator,
  Et graue suspenso uomere cesset opus.
Soluite uincla iugis: nunc ad praesepia debent
  Plena coronato stare boues capite.
Omnia sint operata deo: non audeat ulla
  Lanificam pensis imposuisse manum.
Uos quoque abesse procul iubeo, discedat ab aris,
  Cui tulit hesterna gaudia nocte Uenus.

TESTIM. II 1, 7 'nunc ad praesepia' adfert sub Cottae nomine (quamquam locus de corruptela suspectus) auctor tractatus de dubiis nominibus [gramm. lat. ed. Keil. V p. 587, 17].

VAR. LECT. Albii Tibulli (tyb. **A**) poetę illustris liber primus explicit feliciter. Incipit liber secundus [lib. sec. *om.* **A**, *in quo* 2us *a m. rec. add.*] de agri lustratione et uenere [— rem **A**] inuocanda [— dam **A**]. Rca. **AV** Elegia secunda **G** *m. rec. in* 2 *lin. interst.* | 1 faueat *Scaliger*: ualeat **O** ades faueas *Dousa*; *malim* taceat ‖ 3 Bache **AV** ‖ 5—14 *hab. Par. cum inscriptione* in sedo (libro); *confirmant igitur* **AV** *librorum testimonium* ‖ 8 uertice stare boues *Par.* ‖ 9 sint **G** (*et* **V** *m.* 2): sunt **AV** *m.* 1, *Par.* | discedat **O** *Par.*: discedite *Itali, qui et* Quis *u. seq.* ‖ 12 hesterna **AG** *Par.*: ex hesterna **V**

Casta placent superis: pura cum ueste uenite
Et manibus puris sumite fontis aquam.
Cernite, fulgentes ut eat sacer agnus ad aras
Uinctaque post olea candida turba comas.
Di patrii, purgamus agros, purgamus agrestes:
Uos mala de nostris pellite limitibus,
Neu seges eludat messem fallacibus herbis,
Neu timeat celeres tardior agna lupos.
Tunc nitidus plenis confisus rusticus agris
Ingeret ardenti grandia ligna foco,
Turbaque uernarum, saturi bona signa coloni,
Ludet et ex uirgis extruet ante casas.
Euentura precor: uiden ut felicibus extis
Significet placidos nuntia fibra deos?
Nunc mihi fumosos ueteris proferte Falernos
Consulis et Chio soluite uincla cado.
Uina diem celebrant: non festa luce madere
Est rubor, errantes et male ferre pedes.
Sed 'bene Messalam' sua quisque ad pocula dicat,
Nomen et absentis singula uerba sonent.
Gentis Aquitanae celeber Messala triumphis
Et magna intonsis gloria uictor auis,
Huc ades aspiraque mihi, dum carmine nostro
Redditur agricolis gratia caelitibus.
Rura cano rurisque deos. his uita magistris
Desueuit querna pellere glande famem;
Illi compositis primum docuere tigillis

TESTIM. u. 38 'querna pellere glande famem' Uergilio adtribuit idem p. 580, 3

VAR. LECT. 13 pura cum mente *Par.* ‖ 15 agnus **AVg**: ignis **G** ‖ 17 Di **G**: Dii **AV** ‖ 18 tollite **G** ‖ 21 Tunc **O**: Tum ς ‖ 22 Ingeret **A**: Ingerat **GV** ‖ 23 saturi **G**: satiri **A** satyri **V** ‖ 24 ex *om.* **V** *m.* 1 | ar≡te (*erat* ante) **G** ‖ 25 cęlestibus (*mg. m.* 2 felicibus) **V** ‖ 27 phalernos **G** ‖ 29, 30 *hab. Par.* ‖ 29 celebrant **G** *Par.*: celebrent **AVg** | nec *Par.* ‖ 33 aquitanae, *ita* **O** ‖ 34 auis *Scaliger*: ades **O** ‖ 36 celi cibus **A** cilibus **V** (*idem mg. m.* 2 caelitibus) ‖ 37—50 *hab. Par.* ‖ 37 Rura colo (colis **n**) *Par.* | hiis **A** ‖ 38 glande (l *ex corr.*) **G**, **V** *m.* 2, *Par.*: grande **AV** *m.* 1 (*et sine dubio* **O**) ‖ 39 tigillis **G**: tigellis **AV** tegellis *Par.*

Exiguam uiridi fronde operire domum,
Illi etiam tauros primi docuisse feruntur
Seruitium et plaustro supposuisse rotam.
Tum uictus abiere feri, tum consita pomus,
Tum bibit irriguas fertilis hortus aquas,
Aurea tum pressos pedibus dedit uua liquores
Mixtaque securo est sobria lympha mero.
Rura ferunt messes, calidi cum sideris aestu
Deponit flauas annua terra comas.
Rure leuis uerno flores apis ingerit alueo,
Compleat ut dulci sedula melle fauos.
Agricola assiduo primum satiatus aratro
Cantauit certo rustica uerba pede
Et satur arenti primum est modulatus auena
Carmen, ut ornatos diceret ante deos;
Agricola et minio suffusus, Bacche, rubenti
Primus inexperta duxit ab arte choros.
Huic datus a pleno, memorabile munus, ouili
Dux pecoris hircus auxerat hircus oues.
Rure puer uerno primum de flore coronam
Fecit et antiquis imposuit Laribus.
Rure etiam teneris curam exhibitura puellis
Molle gerit tergo lucida uellus ouis.
Hinc et femineus labor est, hinc pensa colusque,
Fusus et apposito pollice uersat opus;
Atque aliqua assidue textis operata Mineruam
Cantat, et apploso tela sonat latere.

Var. lect. 41 primi **O** *Par.*: primum *Itali* ‖ 42, 43 tum *ter* *Par.*: tunc *ter* **O** ‖ 44 ortus **AV** *Par.* ‖ 45 Aurea **G** *Par.*: Antea **AV** | tum **G** *Par.*: tunc **AV** ‖ 46 limpha **A** *Par.* linpha **V** ‖ 49 ingerit *Par.* *et* **G** (*sed hic* it *ex* at, *ut uid.*, *corr.*): ingerat **AV** ‖ 50 ut **G** *Par.* (*et* **V** *m.* 2): et **AV** *m.* 1 | *uu.* 49, 50 *post* 58 *traiecerim*; *nam* 51 *sqq.* *arte cum* 47, 48 *cohaerent* ‖ 54 *fort.* oratos | diceret **G** (*et* **V** *m.* 2): duceret **AV** *m.* 1 ‖ 55 bache **AV** 57 e **g** ‖ 58 *locus desperatus*; yrcus hauxerat (h *expuncto*) yrcus oues **A** hircus hauserat hircus oues **G** hyrcus hauserat (*mg.* *m.* 2 auxerat) hyrcus oues **V** h. duxerat hircus ouis **g** hirtas duxerat hircus oues *Heinsius* curtas auxerat hircus opes *Waardenburgius* ‖ 65 assidue — mineruam **O**: assiduae — Mineruae *Itali* | textis *L. Fruterius*: textrix **O** 66 applauso ς: appulso **O** a plauso *Riglerus* | sona≡t **G**

Ipse interque greges interque armenta Cupido
  Natus et indomitas dicitur inter equas.
Illic indocto primum se exercuit arcu:
  Ei mihi, quam doctas nunc habet ille manus!
Nec pecudes, uelut ante, petit: fixisse puellas
  Gestit et atroces perdomuisse uiros;
Hic iuueni detraxit opes, hic dicere iussit
  Limen ad iratae uerba pudenda senem,
Hoc duce custodes furtim transgressa iacentes
  Ad iuuenem in tenebris sola puella uenit
Et pedibus praetentat iter suspensa timore,
  Explorat caecas dum manus ante uias.
A miseri, quos hic grauiter deus urget! at ille
  Felix, cui placidus leniter afflat Amor.
Sancte, ueni dapibus festis, sed pone sagittas
  Et procul ardentes hinc precor abde faces.
Uos celebrem cantate deum pecorique uocate
  Uoce: palam pecori, clam sibi quisque uocet.
Aut etiam sibi quisque palam: nam turba iocosa
  Obstrepit et Phrygio tibia curua sono.
Ludite: iam Nox iungit equos, currumque sequuntur
  Matris lasciuo sidera fulua choro,
Postque uenit tacitus furuis circumdatus alis
  Somnus et incerto Somnia nigra pede.

VAR. LECT. 67 Ipse interque greges **G**: Ipse quoque inter agros **A** Ipse quoque inter greges **V** *m.* 1 (*m.* 2 *corr.* Ipse agros inter gregesque); I. q. i. apros *R. Klotzius in Fleckeis. ann.* 1869, *p.* 794 || 68 equ$\overset{a}{e}$s **G** || 70 Hei **GV** Hey **A** || 72 atroces *scripsi*: audaccs **O** || 73 opes **g**: opus **O** || 74 Limem **A** | 76 in **G**: *om.* **AV** || 78 dum (*uel* et) *Heynius*: cui **O** || 79 Ah **GV** Ha **A** || 81 fessis **G** || 83 uacate **V** *m.* 1 || 86 frigio **AV** || 88 choro **G** (*et* **V** *m.* 2): thoro **AV** *m.* 1 || 89, 90 *hab. Par.* | Accedit tacitus (tacitis **n**) *Par.* | tacit$\overset{u}{i}$s **G** | furuis **G**: fuluis **AV** *Par.* | circundatus **V** *Par.* | halis **V** || 90 nigra **O** *Par.*: uana ς pigra *Heinsius*

II.

Dicamus bona uerba: uenit Natalis ad aras:
Quisquis ades, lingua, uir mulierque, faue.
Urantur pia tura focis, urantur odores,
Quos tener e terra diuite mittit Arabs.
Ipse suos adsit Genius uisurus honores,
Cui decorent sanctas mollia serta comas.
Illius puro destillent tempora nardo,
Atque satur libo sit madeatque mero,
Annuat et, Cornute, tibi, quodcumque rogabis.
En age, quid cessas? annuit ille: roga.
Auguror, uxoris fidos optabis amores:
Iam reor hoc ipsos edidicisse deos.
Nec tibi malueris, totum quaecumque per orbem
Fortis arat ualido rusticus arua boue,
Nec tibi, gemmarum quicquid felicibus Indis
Nascitur, Eoi qua maris unda rubet.
Uota cadunt. ut iam strepitantibus aduolat alis
Flauaque coniugio uincula portat Amor!
Uincula, quae maneant semper, dum tarda senectus
Inducat rugas inficiatque comas.
Haec ueniat genialis auis; prolesque ministret,
Ludat ut ante tuos turba nouella pedes.

Var. lect. II. Ad Cornutum [chorinthum **V**] de uotiuo sacrificio sui natalis. R^ca. **AV**. Elegia tertia **G** *m. rec. in* 2 *lin. interst.* ‖ 3 thura **O** ‖ 5 ″assit ″genius (″*m.* 2) **G**: genius assit **AV** ‖ 7 Illius e puro ς | distillent **O**, *corr.* ς ‖ 9 cornute **O**: cherinte ς ‖ 13—16 *hab. Par.* ‖ 13 Ne tibi *Par.* **p** Te tibi **n** ‖ 15 indis *Par.* (**V** *m.* 2): undis **O** ‖ 17, 18 ut iam — aduolat — portat *scripsi*: utinam — aduolet — portet **O** uiden ut — aduolet — portet *Guietus* | trepidantibus ς ‖ 19 Uincula quae et maneant **GV** Uinculaq. maneant (*suprascr. m. rec.* et) **A** ‖ 20—III 52 **V** *m.* 1 *omisit, suppleuit m.* 2; *unde hoc loco* (*nam* **V** *manus altera nimis inproba*) *adscripsi Uaticani* 2794 *saec.* XV *lectiones potiores* (*admodum enim neglegenter est exaratus*), *eodem siglo* **V** *usus* ‖ 21 Hęc **G**: Hic **AV** | genialis *scripsi*: natalis **O** Hac uenias, Natalis, aui *Heinsius* | prolemque **O**, *correxi* ‖ 22 ut ς: et **O**

III.

Rura meam, Cornute, tenent uillaeque puellam:
  Ferreus est, eheu, quisquis in urbe manet.
Ipsa Uenus laetos iam nunc migrauit in agros,
  Uerbaque aratoris rustica discit Amor.
O ego, ut aspicerem dominam, quam fortiter illic
  Uersarem ualido pingue bidente solum
Agricolaeque modo curuum sectarer aratrum,
  Dum subigunt steriles arua colenda boues!
Nec quererer, quom sol graciles exureret artus,
  Laederet et teneras pussula rupta manus.
Pauit et Admeti tauros formosus Apollo,
  Nec cithara intonsae profueruntue comae,
Nec potuit curas sanare salubribus herbis:
  Quicquid erat medicae uicerat artis amor.
Ipse deus solitus stabulis expellere uaccas
  . . . .
Et miscere nouo docuisse coagula lacte,
          *   *   *
  Lacteus et mixtus obriguisse liquor.
Tunc fiscella leui detexta est uimine iunci,

VAR. LECT. III. De puella in agro posita conqueritur ad cornutum. Et quod puelle diuitibus pretio delectentur. ℞ca. **A**; *et sic fere* **V**. Elegia quarta **G** *m. rec. in* 2 *lin. interst.* ‖ 1 Cornute **O**: Cerinthe *uulgo* ‖ 2 eheu ς: heu heu **O** (*sed in* **A** *alterum* heu *m. rec. expunctum*) ‖ 3 lętos **G**: latos **AV** ‖ 5 ut *J. H. Vossius* (*coll.* IV 3, 11): cum **O** dum *Heynius* ‖ 8 colenda **G**: serenda **AV** *m.* 1 (secanda *corr. m.* 2) ‖ 9 quom *Guietus*: quam **G** quod **AV** ‖ 10 aut *pro* et *Itali* ‖ pussula *hab. Fris.*: pustula **O** ‖ 11 armenti **A**, armēti *ex* admeti *corr.* **V** ‖ 12 cithera **A** cythera *ex* cythara *corr.* **V** ‖ 14 medicae; *litt.* edi *ex corr.* **G** ‖ 15 *et* 16 *sine interstitio coniungit* **A**, *spatium relinquit* **G**, *in quo* **g** *addidit*: In nemus et pastas inde referre domum; *deinde signo adposito in mg. inferiore* **g** *addidit*: Ipse et spumanti primus multralia succo Implesse expressis fertur ab huberibus, *quos uersus a Pontano suppletos testatur Puccius. alia sunt supplementa Aurispae* (**V** *mg. m.* 2): Et potum fessas ducere fluminibus, *Senecae* (**V** *in textu*): Creditur ad mulctram constituisse prius, *quae passim in* ς *inuenire licet* ‖ *inter* 16 *et* 17 *lacunam significaui. C. M. Francken* 16 *et* 17 *spurios habet* ‖ 17 mistus **G** mustis *Itali* mixtu subriguisse *Lachmannus* ‖ 18 Tunc **O**: Tum ς

Raraque per nexus est uia facta sero.
O quotiens illo uitulum gestante per agros
Dicitur occurrens erubuisse soror!
O quotiens ausae, caneret cum ualle sub alta,
Rumpere mugitu carmina docta boues!
Saepe duces trepidis petiere oracula rebus,
Uenit et a templis irrita turba domum;
Saepe horrere sacros doluit Latona capillos,
Quos admirata est ipsa nouerca prius.
Quisquis inornatumque caput crinesque solutos
Aspiceret, Phoebi quaereret ille comam.
Delos ubi nunc, Phoebe, tua est, ubi Delphica Python?
Nempe amor in parua te iubet esse casa.
Felices olim, Ueneri cum fertur aperte
Seruire aeternos non puduisse deos.
Fabula nunc ille est: sed cui sua cara puella est,
Fabula sit mauult quam sine amore deus.
At tu, quisquis is es, cui tristi fronte Cupido
Imperat, in nostra sint tua castra domo,

* * *

Ferrea non Uenerem, sed praedam saecula laudant:
Praeda tamen multis est adoperta malis.
Praeda feras acies cinxit discordibus armis:
Hinc cruor, hinc caedes mors propiorque uenit.
Praeda uago iussit geminare pericula ponto,
Bellica cum dubiis rostra dedit ratibus.
Praedator cupit inmensos obsidere campos,
Ut culta innumera iugera pascat oue;

VAR. LECT. 19 sero *hab. Fris.* ‖ 22 cum **V** *m.* 2 *corr.*: dum **O** ‖ 25 e templis *uulgo*; *puto* Venit at e templ. ‖ 30 phyton **G** (phiton **V** *m.* 2): phito **AV** ‖ 33 Seruisse **V** ‖ 34 ille, e *ex corr.* **G** | cara *Guietus*: cura **O** ‖ 36 is est **A** ‖ 37 Imperat in ς: Imperat ut **O** Imperitat *uulgo* ‖ 37 *et* 38 *coniungunt* **O** ‖ 38—45 *hab. Par.* ‖ 39 adoperta **G** *Par.*: operata **AV** ‖ 40 crudelibus **V** *m.* 1 (*corr. m.* 2 *mg.*) ‖ 41 furor *pro* cruor **V** *m.* 1 | propriorque **G** (*corr.* **g**) **V** morsque propinqua *Par.* ‖ 43 Cum tribuit dubie bellica rostra rati *Par.* | nauibus (*corr. m.* 2 *mg.*) **V** ‖ 44 obsidere **G** *Par.*: obsistere **AV** ‖ 45 Ut (Et **AV** *m.* 1) multa innumera iugera pascat oue **O** *Par.*; multo (*uel* mille) innumeram iugere p. ouem ς; carpat *pro* pascat *Lachmannus*; *ego* multa, *quod post* immensos campos *iusto languidius est, in* culta *mutaui*

Cui lapis externus curae est, urbisque tumultu
  Portatur ualidis mille columna iugis.
Claudit et indomitum moles mare, lentus ut intra
  Negligat hibernas piscis adesse minas.

* * *

At tibi laeta trahant Samiae conuiuia testae
  Fictaque Cumana lubrica terra rota.
Eheu diuitibus uideo gaudere puellas:
  Iam ueniant praedae, si Uenus optat opes;
Ut mea luxuria Nemesis fluat utque per urbem
  Incedat donis conspicienda meis.
Illa gerat uestes tenues, quas femina Coa
  Texuit, auratas disposuitque uias;
Illi sint comites fusci, quos India torret,
  Solis et admotis inficit ignis equis;
Illi selectos certent praebere colores
  Africa puniceum purpureumque Tyros.

* * *

Nota loquor: regnum ipse tenet, quem saepe coegit
  Barbara gypsatos ferre catasta pedes.
Sit tibi dura seges, Nemesim qui abducis ab urbe:
  Persoluat nulla semina terra fide.
Et tu, Bacche tener, iocundae consitor uuae,
  Tu quoque deuotos, Bacche, relinque lacus.
Haud impune licet formosas tristibus agris
  Abdere: non tanti sunt tua musta, pater.

VAR. LECT. 46 tumultu **GV**: tumulti **A** tumultus ς ‖ 47 mille] multa ς, *unde* fulta *Heinsius* ‖ 48—51 *hab. Par.* ‖ 48 Claudat *Par.* ‖ *post* 49 *lacunam significaui* ‖ 50 At mihi *Par.* ‖ 52 Eheu *ego*: Heu heu **O** ‖ 56 gerat *Itali*: gerit **O** | choa **AV**; foemina coa, *litt.* na c *ex corr.*, **G** ‖ 57 uices *Marklandus ad Stat. silu.* V 2, 152 ‖ 58 fuscę **G**, *corr.* **g** | quas (a *ex corr.*) **G**, quos **g** ‖ 59 $\overset{d}{\text{a}}$motis **G** ‖ 60 Illi *m.* 2 *ex* Ille *corr.* **V** | certent *m.* 2 *ex* cernent *corr.* **V** ‖ *inter* 62 *et* 63 *nullum in* **O** *interuallum* ‖ 62 loquor (o *prius ex corr.*) **G**: liquor **AB** (*et sine dubio* **O**) | regnū; ū *ex corr.* **G** | ipse] iste *uel* ille *Heynius* | quē (ē *ex corr.*) **G**: que **A** q̃ (= quae) **V** ‖ 63 gipsatos *hab. Fris.*, *et ita* **G**: bipsatos **AV** ‖ 64 Sit *Rossbachius*: At **O** | Ceres *Heinsius* | nemesim **G** (*et* **V** *m.* 2): ne mesis **A** nemesis **V** | abducit **AV** *m.* 1 quia ducis ς ‖ 65 terra **O**: certa *Itali* tecta *Statius* ‖ 66 iucunde **G** | bache *bis* **AV** ‖ 69 Addere **V** | sint **G**

O ualeant fruges, ne sint modo rure puellae:
Glans alat, et prisco more bibantur aquae.
Glans aluit ueteres, et passim semper amarunt:
Quid nocuit sulcos non habuisse satos?
Tunc, quibus aspirabat Amor, praebebat aperte
Mitis in umbrosa gaudia ualle Uenus.
Nullus erat custos, nulla exclusura dolentes
Ianua: si fas est, mos precor ille redi.
. . . .
Horrida uillosa corpora ueste tegant.
Nunc si clausa mea est, si copia rara uidendi,
Heu miserum, laxam quid iuuat esse togam?
Ducite: ad imperium dominae sulcabimus agros:
Non ego me uinclis uerberibusque nego.

IV.

Hic mihi seruitium uideo dominamqne paratam:
Iam mihi, libertas illa paterna, uale.
Seruitium sed triste datur, teneorque catenis,
Et numquam misero uincla remittit Amor,
Et seu quid merui seu quid peccauimus, urit.
Uror io: remoue, saeua puella, faces.
O ego ne possim tales sentire dolores,
Quam mallem in gelidis montibus esse lapis,
Stare uel insanis cautes obnoxia uentis,
Naufraga quam uasti tunderet unda maris!

VAR. LECT. 71 et *sup. lin. add.* **A** ‖ 74 Tunc **O**: Tum ς ‖ 76 dolentes; *alt.* e *in* i *m.* 1 *corr.* **V** ‖ 77 *cum* 78 *cohaeret in* **AV**; **A** *mg. a manu paulo recentiore adscriptum* O utinam ueteri peragrantes more puelle. **G** *interstitium* 1 *lineae reliquit, in quo* **g**: O ualeant cultus et tinctę murice lanę, *quem u. teste Puccio Pontanus reposuit. alii alia* (*ut Seneca*: Ah pereant artes et mollia rura colendi) *supplerunt* ‖ 80 iuuet **A**

IV. Conqueritur de Nemesi et [*om.* **V**] quod sit amoris uinculis innodatus quodque non prosint muse. sed premia poscat amasia. et poscentes pretia [munera **V**] execratur. Rca. **AV** ‖ 1 Sic **AG** Ic **V**, *praefixa* s *litt. a. m.* 2 ‖ 2 paterna **G** (*et* **V** *m.* 2): paterue **AV** *m.* 1 ‖ 3 teneorque *ex* teneroque *m.* 2 *corr.* **V** ‖ 4 remittet **O**, *corr.* ς ‖ 10 uasti **G**: *om.* **A** *m.* 1, uitrei **V** *m.* 1 (**A** *m.* 2 uitrei *additum*, **V** *m.* 2 *mg.* uasti)

Nunc et amara dies et noctis amarior umbra est,
  Omnia nunc tristi tempora felle madent.
Nec prosunt elegi nec carminis auctor Apollo:
  Illa caua pretium flagitat usque manu.
Ite procul, Musae, si non prodestis amanti:
  Non ego uos, ut sint bella canenda, colo,
Nec refero solisque uias et qualis, ubi orbem
  Compleuit, uersis Luna recurrit equis.
Ad dominam faciles aditus per carmina quaero:
  Ite procul, Musae, si nihil ista ualent.
At mihi per caedem et facinus sunt dona paranda,
  Ne iaceam clausam flebilis ante domum,
Aut rapiam suspensa sacris insignia fanis:
  Sed Uenus ante alios est uiolanda mihi.
Illa malum facinus suadet dominamque rapacem
  Dat mihi: sacrilegas sentiat illa manus.
O pereat, quicumque legit uiridesque smaragdos
  Et niueam Tyrio murice tingit opem.
Hinc dat auaritiae causas et Coa puellis
  Uestis et e rubro lucida concha mari.
Haec fecere malas: hinc clauim ianua sensit
  Et coepit custos liminis esse canis.
Sed, pretium si grande feras, custodia uicta est:
  Nec prohibent claues et canis ipse tacet.
Heu quicumque dedit formam caelestis auarae,
  Quale bonum multis attulit ille malis!
Hinc fletus rixaeque sonant, haec denique causa
  Fecit ut infamis nunc deus esset Amor.

TESTIM. IV, 31. Charisius p. 126, 4 K.: 'Clauim Tibullus: hinc clauim ianua sensit'

VAR. LECT. 11, 12 *hab. Par.* ‖ 12 nunc *Par.*: nam **O** iam *Itali* ‖ 13 autor **G** ‖ 17 Neu **G** | et qualis **G**: equalis **AV** | ubi **O**: ut ς | urbem **A** ‖ 18 recurrat ς ‖ 21 Aut ς ‖ 23 focis insignia sacris ς ‖ 27—30 *hab. Par.* ‖ 29 Praebet auaritiae causas pretiosa potentum *Par.* | Hinc ς: Hic **O** | coa (c *ex corr.*) **G**: choa **AV** ‖ 30 e **O** *Par.*: a *uulgo* ‖ 31 clauim *Charisius*: clauem **O** ‖ 32 cepit **AG** ‖ 33 uicta est **G** (*et* **V** *mg. m.* 2): incerta est **AV** *m.* 1, *quod ex* uĩcta (*id est* uincta, *quod reposuerim*) *ortum uidetur* ‖ 36 ille **G**: ipse **AV** | *malim* Q. bonis multis a. i. malum ‖ 38 nunc *Broukhusius*: hic **O** sic *Heinsius* uel *Riglerus*.

At tibi, quae pretio uictos excludis amantes,
Eripiant partas uentus et ignis opes;
Quin tua tunc iuuenes spectent incendia laeti,
Nec quisquam flammae sedulus addat aquam.
Seu ueniat tibi mors, nec erit qui lugeat ullus,
Nec qui det maestas munus in exequias.
At bona quae nec auara fuit, centum licet annos
Uixerit, ardentem flebitur ante rogum;
Atque aliquis senior ueteres ueneratus amores
Annua constructo serta dabit tumulo
Et 'bene' discedens dicet 'placideque quiescas,
Terraque securae sit super ossa leuis.'
Uera quidem moneo, sed prosunt quid mihi uera?
Illius est nobis lege colendus Amor.
Quin etiam sedes iubeat si uendere auitas,
Ite sub imperium sub titulumque, Lares.
Quicquid habet Circe, quicquid Medea ueneni,
Quicquid et herbarum Thessala terra gerit,
Et quod, ubi indomitis gregibus Uenus afflat amores,
Hippomanes cupidae stillat ab inguine equae:
Si modo me placido uideat Nemesis mea uultu,
Mille alias herbas misceat illa, bibam.

V.

Phoebe, faue: nouus ingreditur tua templa sacerdos:
Huc age cum cithara carminibusque ueni.
Nunc me uocales impellere pollice chordas,

VAR. LECT. 39 *fort.* pretio uacuos || 40 partas **G** (*et* **V** *m.* 2): portas **AV** *m.* 1 | 41 tunc **O**: tum ς || 42 flamę **AG** || 43 ueniat **GV**: ueniet **A** || 44 exequias **G** (**V** *m.* 2): obsequias **AV** *m.* 1 || 49 dicat **G** || 51 quid prosunt ς || 55 Quidquam **A** | cyrce **AG** || 56 tessala **AV** || 58 Ypomanes **AV** || 59 Si modo **G** (*et* **V** *mg. m.* 2): Si non **AV** *m.* 1, **g** || 60 malas herbas *Burmannus*

V. Inuocatio phebi et eius laudes [l. e. **V**]. Rca. **AV**. Elegia sexta **G** *m. rec. in* 2 *lin. interst. de hac elegia a Tibullo non perfecta et a libri secundi editore interpolata cf. quae disserui 'Tibull. Blätt.' p.* 24 *sqq.* || 3 me *scripsi*: te **O** | uocales *hab. Fris.* | cordas **AV**

Nunc precor ad laudes flectere uerba tuas.
Ipse triumphali deuinctus tempora lauro,
Dum cumulant aras, ad tua sacra ueni;
Et nitidus pulcherque .ueni: nunc indue uestem
Sepositam, longas nunc bene pecte comas:
Quali te memorant, Saturno rege fugato,
Uictori laudes concinuisse Ioui.
Tu procul euentura uides, tibi deditus augur
Scit bene quid fati prouida cantet auis,
Tuque regis sortes, per te praesentit aruspex,
Lubrica signauit cum deus exta notis;
Te duce Romanos numquam frustrata Sibylla
Abdita quae senis fata canit pedibus!
Phoebe, sacras Messalinum sine tangere cartas
Uatis, et ipse precor quod canit illa doce.
[Haec dedit Aeneae sortes, postquam ille parentem
Dicitur et raptos sustinuisse Lares,
Nec fore credebat Romam, cum maestus ab alto
Ilion ardentes respiceretque deos.]

* * *

Romulus aeternae nondum formauerat urbis
Moenia, consorti non habitanda Remo,
Sed tunc pascebant herbosa Palatia uaccae
Et stabant humiles in Iouis arce casae.
Lacte madens illic suberat Pan ilicis umbrae
Et facta agresti lignea falce Pales,
Pendebatque uagi pastoris in arbore uotum,
Garrula siluestri fistula sacra deo,
Fistula, cui semper decrescit arundinis ordo:

VAR. LECT. 4 tuas ς: meas **O** mea *Lachmannus* ‖ 7 Et *scripsi*: Sed **O** | pulcerque **AV** ‖ 9 Quali *scripsi*: Qualem **O** ‖ 11 deditus ς: debitus **O** ‖ 13 haruspex **G** *et* **V** *m.* 2 ‖ 15 sibilla **AV** | est *add. uulgo* ‖ 17 cartas **AV** *m.* 1 chartas **G** (**V** *m.* 2) ‖ 18 quod ς: quos **O** quid ς quoi *J. H. Vossius* | canit **G**: canat **AV** ‖ 19--22 *ut interpolatos inclusi* ‖ 20 raptos ς: captos **O** | substinuisse **V** ‖ 21 Hęc fore **G** ‖ 22 Ylion **AV** | *fort.* resp. domos ‖ *hiatus signa a me posita hic ut infra lacunas ab ipso Tibullo relictas significant* ‖ 23 formauerat **O**: firmauerat *uel* fundauerat ς ‖ 30 Garula **G**, *corr.* **g** | sacra, s *et* r *ex corr.* (*ex* facta ?) **G**

Et calamus cera iungitur usque minor.
At qua Velabri regio patet, ire solebat
Exiguus pulsa per uada linter aqua.
Illa saepe gregis ditis placitura magistro
Ad iuuenem festa est uecta puella die,
Cum qua fecundi redierunt munera ruris,
Caseus et niueae candidus agnus ouis.

* * *

Impiger Aenea, uolitantis frater Amoris,
Troica qui profugis sacra uehis ratibus,
Iam tibi Laurentes assignat Iupiter agros,
Iam uocat errantes hospita terra Lares.
Illic sanctus eris, cum te ueneranda Numici
Unda deum caelo miserit Indigetem.
Ecce super fessas uolitat Uictoria puppes,
Tandem ad Troianos diua superba uenit.
Ecce mihi lucent Rutulis incendia castris:
Iam tibi praedico, barbare Turne, necem.
Ante oculos Laurens castrum murusque Lauini est
Albaque ab Ascanio condita longa duce.
Te quoque iam uideo, Marti placitura sacerdos
Ilia, Uestales deseruisse focos,
Concubitusque tuos furtim uittasque iacęntes
Et cupidi ad ripas arma relicta dei.
Carpite nunc, tauri, de septem montibus herbas,
Dum licet: hic magnae iam locus urbis erit.
Roma, tuum nomen terris fatale regendis,

VAR. LECT. 32 Et **G**: Nam **AV** dum *Heinsius* | *ceterum* 31, 32 *interpolati sunt uisi Mitscherlichio Gruppioque* ‖ 34 pulla **O**, *corr. Itali* | linter *hab. Fris.* ‖ 35 Illaque **AV** (*in hoc m.* 2 que *expunxit*) | diti ς, *Muretus* | pia cura *J. H. Vossius* ‖ *post* 38 *noua in* **O** *incipit elegia.* Sibille uaticinium de Enea et urbe Roma. signaque qu(a)e uentura erant et lauri pronostica [— ticri **A**] et festa palilia refert. demum nemesi se recommendat. Rca. **AV**. Elegia septima **G** *m. rec. in* 2 *lin. interu.* (Sibyllę uaticinium **g** *mg.*) ‖ 40 Troya, *suprascr.* c *m.* 2, **V** ‖ 41 iupiter, *ita* **O** ‖ 43 uenerande *L. Muellerus* ‖ 44 indigitem, em *ex corr.* **A** ‖ 47 rutilis **AV** ‖ 49 castrum ς: castris **O** *e. u.* 47 ‖ 52 Hylia **AV** ‖ 53 uictasque **O**, *corr.* ς ‖ 55 Capite **V**, *corr. m.* 2 | de septem (″*m.* 2 ?) **G**

Qua sua de caelo prospicit arua Ceres,
Quaque patent ortus et qua fluitantibus undis
Solis anhelantes abluit amnis equos.
Troia quidem tunc se mirabitur et sibi dicet
Uos bene tam longa consuluisse uia.
Uera cano: sic usque sacras innoxia laurus
Uescar, et aeternum sit mihi uirginitas.'
[Haec cecinit uates et te sibi, Phoebe, uocauit,
Iactauit fusas et caput ante comas.
Quicquid Amalthea, quicquid Marpesia dixit
Herophile, Phoeto Graia quod admonuit,
Quasque Aniena sacras Tiburs per flumina sortes
Portarit sicco pertuleritque sinu,
(Haec fore dixerunt belli mala signa cometen,
Multus ut in terras deplueretque lapis;
Atque tubas atque arma ferunt strepitantia caelo
Audita et lucos praecinuisse fugam;
Ipsum etiam Solem defectum lumine uidit
Iungere pallentes nubilus annus equos
Et simulacra deum lacrimas fudisse tepentes
Fataque uocales praemonuisse boues):
Haec fuerant olim. sed tu iam mitis, Apollo,
Prodigia indomitis merge sub aequoribus.]

* * *

Et succensa sacris crepitet bene laurea flammis,

Var. lect. 58 respicit **G**. *an* despicit? ‖ 59 rutilantibus *J. H. Vossius* ‖ 61 tum **G** ‖ 62 longa-uia *Scaliger*: longam-uiam **O** ‖ 63 lauros **G** ‖ 64 Uescar **V** *mg. m.* 2: Noscar **A** Noscat **GV** *m.* 1 ‖ 65—80 *ut interpolatos inclusi* ‖ 67 marpesia **O**: Marpessia *uulgo* Mermessia *Salmasius exerc. Plin.* 78 ‖ 68 Eryphile **G** Heriphile **AV** | Phoeto Graia *Lachmannus apud Dissenum*: phoebo grata **O** Phyto grata *Huschkius* | quod admonuit **O**: -que quod monuit ς ‖ 69 Quasque **G**: Quodque **AV** | Aniena *Itali*: albana **O** Albuna *Scaliger* | Tiburs *Itali*: tiberis **O** ‖ 70 pertuleritque ς: perlueritque **O** Portauit, s. pertulit inque sinu *Heynius, recte puto* ‖ 71 Hęc **G** Hec **AV**: Hae *uulgo* | fore fore **G** | cometen **G**: cometē **A** cometem **V** ‖ 72 Mult^{u}is **G** | ut **g**: et **O** | terris **G** | deplueretque ς: deplueritque **AG** depuleritque **V**; *fort.* Multus et i. t. depluit usque lapis ‖ 74 concinuisse **G** ‖ 76 nubilus *ex* nubibus *corr.* **V** | amnis **A** ‖ 79 fuerunt *uel* fuerint ς ‖ *nulla in* **O** *lacuna* ‖ 81 Et **G** (*et* **V** *m.* 2 *mg.*): Ut **AV** *m.* 1 En **g** | crepitat **g**

Omine quo felix et sacer annus eat.
Laurus ubi bona signa dedit, gaudete coloni:
Distendet spicis horrea plena Ceres,
Oblitus et musto feriet pede rusticus uuas,
Dolia dum magni deficiantque lacus.
Ac madidus Baccho sua festa Palilia pastor
Concinet: a stabulis tunc procul este lupi.
Ille leuis stipulae sollemnis potus aceruos
Accendet flammas transilietque sacras.
Et fetus matrona dabit, natusque parenti
Oscula comprensis auribus eripiet,
Nec taedebit auum paruo aduigilare nepoti
Balbaque cum puero dicere uerba senem.
Tunc operata deo pubes discumbet in herba,
Arboris antiquae qua leuis umbra cadit;
Aut e ueste sua tendent umbracula sertis
Uincta, coronatus stabit et ipse calix;
Aut sibi quisque dapes et festas extruet alte
Cespitibus mensas cespitibusque torum.
Ingeret hic potus iuuenis maledicta puellae,
Postmodo quae uotis irrita facta uelit;
Iam ferus ille suae plorabit sobrius, idem
Et se iurabit mente fuisse mala.
Pace tua pereant arcus pereantque sagittae,
Phoebe, modo in terris erret inermis Amor.
Ars bona: sed postquam sumpsit sibi tela Cupido,
Eheu quam multis ars dedit ista malum!
Et mihi praecipue. iaceo cum saucius annum
Et faueo morbo (tam iuuat ipse dolor),

Var. lect. 82 eat **G**: erit **AV** ‖ 83 ubi] io *Heinsius* ‖ 84 Distendet **O**: Distentet ς ‖ 87 Ac **O**: At ς | bacho **AV** ‖ 89 solemnis **O** ‖ 90 flamas **AG** ‖ 92 comprensis (n *ex corr.*) **G**: compressis **AV** (*sine dubio* **O**) ‖ 94 puro **A** ‖ 95 operata **G** (*et* **V** *mg. m.* 2): et operta **V** *m.* 1 operta (*suprascr. m. rec.* et) **A** ‖ 96 unda ς ‖ 97 ≡ ≡ sertis **G** ‖ 98 ipse **O**: ante ς ‖ 99 Aut **G**: At **AV** | extruet **g**: extruat **O** ‖ 100 thorum **AV** ‖ 103 Iam **G**: Nam **AV** ‖ *post* 104 *nonnulla intercidisse uidentur* ‖ 108 Eheu *Itali*: Heu heu **O** | ista **O**: illa ς ‖ 109 iaceo ς, *Scaliger*: taceo **O** ‖ 110 foueo morbum ς | tam *Passeratius*: cum **O** dum *Statius* | iuuet **g**

Usque cano Nemesim, sine qua uersus mihi nullus
Uerba potest iustos aut reperisse pedes.
At tu (nam diuum seruat tutela poetas),
Praemoneo, uati parce, puella, sacro,
Ut Messalinum celebrem, cum praemia belli
Ante suos currus oppida uicta feret,
Ipse gerens laurus: lauro deuinctus agresti
Miles 'io' magna uoce 'triumphe' canet.
Tunc Messala meus pia det spectacula turbae
Et plaudat curru praetereunte pater.
Annue: sic tibi sint intonsi, Phoebe, capilli,
Sic tua perpetuo sit tibi casta soror.

VI.

Castra Macer sequitur: tenero quid fiet Amori?
Sit comes et collo fortiter arma gerat?
Et seu longa uirum terrae uia seu uaga ducent
Aequora, cum telis ad latus ire uolet?
Ure, puer, quaeso, tua qui ferus otia liquit,
Atque iterum erronem sub tua signa uoca.
Quod si militibus parces, erit hic quoque miles,
Ipse leui galea qui sibi portet aquam.
Castra peto, ualeatque Uenus ualeantque puellae:
Et mihi sunt uires, et mihi facta tuba est.
Magna loquor, sed magnifice mihi magna locuto
Excutiunt clausae fortia uerba fores.

Var. lect. 111 Usque **O**: Vixque ς || 112 reperisse **GV** (*in hoc primitus* repper.): reperire **A** || 116 opida **AV** | feret **G**: ferent **AV** (*in hoc ex* forent *corr.*) || 117 lauros **G** || 119 Tunc **O**: Tum ς || 120 pater **AV**: parens **G**; *num aliquod participium* (patens ?) *latet ?* || 121 tibi *om.* **V** *m.* 1 || 122 perpetua **AV** *m.* 1

VI. De [Se **A**] amore in [ni **A**] militiam [-cia **A**] profectus rogat nemesim et detestatur lenam [leenam **A**] cui nomen erat [creat **V**] phyrne [phirne **V**]. Rca. **AV** Elegia VIII **G** *m. rec. in* 2 *lin. interst.* || 3 terre **AV** *m.* 1: terret **GV** *m.* 2 || 4 allatus **V**, *corr. m.* 2 || 5 tua *m.* 2 *ex* tu *corr.* **V** | signa **AV**: lustra **G**; *puto* iura || 8 leui **G**: leuem **AV** | portet **AG**: portat **Vg**

Iuraui quotiens rediturum ad limina numquam!
  Cum bene iuraui, pes tamen ipse redit.
Asper Amor, fractas utinam tua tela sagittas,
  Si licet, extinctas aspiciamque faces!
Tu miserum torques, tu me mihi dira precari
  Cogis et insana mente nefanda loqui.
Iam mala finissem leto, sed credula uitam
  Spes fouet et fore cras semper ait melius.
Spes alit agricolas, Spes sulcis credit aratis
  Semina, quae magno fenore reddat ager;
Haec laqueo uolucres, haec captat arundine pisces,
  Cum tenues hamos abdidit ante cibus;
Spes etiam ualida solatur compede uinctum
  (Crura sonant ferro, sed canit inter opus);
Spes facilem Nemesim spondet mihi, sed negat illa.
  Ei mihi, ne uincas, dura puella, deam.
Parce, per immatura tuae precor ossa sororis:
  Sic bene sub tenera parua quiescat humo.
Illa mihi sancta est, illius dona sepulcro
  Et madefacta meis serta feram lacrimis,
Illius ad tumulum fugiam supplexque sedebo
  Et mea cum muto fata querar cinere.
Non feret usque suum te propter flere clientem:
  Illius ut uerbis, sis mihi lenta ueto,
Ne tibi neglecti mittant mala somnia Manes,
  Maestaque sopitae stet soror ante torum,
Qualis ab excelsa praeceps delapsa fenestra
  Uenit ad infernos sanguinolenta lacus.
Desino, ne dominae luctus renouentur acerbi:
  Non ego sum tanti, ploret ut illa semel.

VAR. LECT. 14 uenit redit **V** || 16 Scilicet **O**, *corr.* ς || 19—26 *hab. Par.* || 19 Finirent multi leto mala credula uitam *Par.* || 20 *ita* **O**: et melius cras fore semper ait (agit *Par.*) *Par. et* **g** || 21, 22 *hab. Fris.* || 21 spes sulcis **AV** *Par.*, *Fris.*: et sulcis **G** | credita ratis *Fris.* || 22 foenore **G** *Fris.* | reddit *Fris.* || 23, 24 *interpolatos iudicat Guil. Fischerus, quaestt. Propert.* (*Bonn.* 1863), *thes.* || 23 harund. *Par.* || 28 Hei **O** | bella puella **G** || 31 Illam **V** || 32 feram **G** (*et* **V** *m.* 2): ferant **AV** *m.* 1 || 37 mala **O**: noua ς | in somnia (in *expuncto*) **V** somnia, *litteris* om *ex corr.* **A** || 38 sopitae *hab. Fris.* | thorum **AV**

Nec lacrimis oculos digna est foedare loquaces:
Lena nocet nobis, ipsa puella bona est.
Lena necat miserum Phryne furtimque tabellas
Occulto portans itque reditque sinu.
Saepe, ego cum dominae dulces a limine duro
Agnosco uoces, haec negat esse domi;
Saepe, ubi nox promissa mihi est, languere puellam
Nuntiat aut aliquas extimuisse minas.
Tunc morior curis, tunc mens mihi perdita fingit,
Quisue meam teneat, quot teneatue modis;
Tunc tibi, lena, precor diras: satis anxia uiuas,
Mouerit e uotis pars quotacumque deos.

VAR. LECT. 45 necat **G**: uetat **A V** uetat miserum recipi f. t. *Puccius* uocat *Lachmannus ad Prop. p.* 182 | phirne **O**, *corr. Itali* ‖ 46 itque **G** (*et* **V** *m.* 2): tuncque **A V** *m.* 1 ‖ 47 duro ς: diro **O** ‖ 49 promissa mihi **G** (**V** *m.* 2): *inuerso ordine* **A V** *m.* 1

APPENDIX
CARMINA PSEUDOTIBULLIANA
CONTINENS.

I. LYGDAMI ELEGIAE.

1 Martis Romani festae uenere kalendae
(Exoriens nostris hinc fuit annus auis),
Et uaga nunc certa discurrunt undique pompa
Perque uias urbis munera perque domos.
Dicite, Pierides, quonam donetur honore
Seu mea seu, fallor, cara Neaera tamen.
Carmine formoso (pretio capiuntur auarae!)
Gaudeat, ut digna est uersibus illa meis.
Lutea sed niueum inuoluat membrana libellum,
Pumex et canas tondeat ante comas
Summaque praetexat tenuis fastigia carta,
Indicet ut nomen littera facta meum,
Atque inter geminas pingantur cornua frontes:
Sic etenim comptum mittere oportet opus.
Per uos, auctores huius mihi carminis, oro
Castaliamque umbram Pieriosque lacus,

Var. lect. Albii Tibulli liber secundus feliciter explicit. Incipit tertius ad Neeram Amasiam suam. Rubrica. **V** Liber explicit secundus. Incipit Tertius ad neeram amasiam suam. ℞ca **A** Albii. Tibulli. poetę. lib. III. incipit. de. amoribus. neerae **G** *litt. maiusc. rubr.*; *cf. quae de hac carminum pseudotibullianorum sylloge exposui in* '*Tibullische Blätter*' *p.* 36—54; I. Lygdami elegiae *addidi* ‖ **1**, 1 uere **V** *m.* 1 ‖ 2 hinc ς: hic **O** ‖ 6 neera, *sic semper* **O** ‖ 7 formoso *scripsi*: formos(a)e **O** | precio capiuntur auari *hab. Par.* ‖ 10 Pumex et **G**: Pumicet **AV** ‖ 8 meis] tuis *Muretus, qui uu.* 7—14 *a Musis dictos esse uoluit* ‖ 11 praetexat **G**: pretexit **A** protexit **V** (a *supra* i *scr. m.* 2) | carta *scripsi*: cart(a)e **AV** chartae **G** ‖ 12 facta] pacta *editio Basil. a.* 1569 picta *Liuineius* festa *L. Muellerus* | meum *Itali*: tuum **O** puer *Lachmannus* ‖ 15 Per uos **G** (*et* **V** *m.* 2): Paruos **AV** *m.* 1 ‖ 16 Castaliamque umbrosam **AV** (*in hoc m.* 2 *corr.*); undam **g**

Ite domum cultumque illi donate libellum,
  Sicut erit: nullus defluat inde color.
Illa mihi referet, si nostri mutua cura est,
  An maneam, an toto pectore deciderim.
Sed primum meritam larga donate salute
  Atque haec submisso dicite uerba sono:
'Haec tibi uir quondam, nunc frater, casta Neaera,
  Mittit et accipias munera parua rogat,
Teque suis iurat caram magis esse medullis,
  Siue sibi coniunx siue futura soror.
Sed potius coniunx: huius spem nominis illi
  Auferet extincto pallida Ditis aqua'.

---

2 Qui primus caram iuueni carumque puellae
  Eripuit iuuenem, ferreus ille fuit.
Durus et ille fuit, qui tantum ferre dolorem,
  Uiuere et erepta coniuge qui potuit.
Non ego firmus in hoc, non haec patientia nostro
  Ingenio: frangit fortia corda dolor.
Nec mihi uera loqui pudor est uitaeque fateri
  Tot mala perpessae taedia nata meae.
Ergo cum tenuem fuero mutatus in umbram
  Candidaque ossa super nigra fauilla teget,
Ante meum ueniat longos incompta capillos

Var. lect. 19 referet **O**: referat ς ‖ 20 An maneam **G**: An minor **AV** ‖ 21 meritam **G** (*et* **V** *m.* 2): meritum **AV** *m.* 1, **g** | larga **O**: longa ς ‖ 22 sūmisso **G** (*uirgula m.* 2 *in ras.*) ‖ 25 carum **G** ‖ 26 coniux **G** *itidemque u.* 27 | tibi (*corr. mg. m.* 2 sibi) **V**

2. De amore et [*om.* **A**] discidio conqueritur nomine ligdami et portat [**V** *m.* 2 *mg.*: optat] funeri suo [s. f. **V**] interesse neeram et eiusdem ligdami epytaphium. Rca. **AV** Elegia 2a **G** *m. rec. in* 2 *lin. intcru.* ‖ 1, 2 *hab. Fris.* ‖ 1 carumue ς ‖ 3 "qui "tantum ["*m.* 2 ?] **G** ‖ 5 h(a)ec patientia nostro **O** (*nisi quod in* **A** *litterae* tia nostro *ex corr. m.* 2): hoc patiemur et aequo *Regiensis ex aperta interpolatione. ad quam lectionem cum Puccius adnotaret*: illud 'non haec patientia nostro' posuit Pontanus, **G** *secutus est* ‖ 6 frangit — dolor *hab. Par.* ‖ 7 est **G** (*et* **V** *m.* 2): *om.* **AV** *m.* 1 ‖ 8 nata **AV**: nota **G** (*et* **V** *m.* 2) ‖ 10 super **G**: supra **AV**

Et fleat ante meum maesta Neaera rogum.
Sed ueniat carae matris comitata dolore:
Maereat haec genero, maereat illa uiro.
Praefatae ante meos Manes animamque precatae
Perfusaeque pias ante liquore manus,
Pars quae sola mei superabit corporis, ossa
Incinctae nigra candida ueste legent,
Et primum annoso spargent collecta Lyaeo,
Mox etiam niueo fundere lacte parent,
Post haec carbaseis humorem tollere uelis
Atque in marmorea ponere sicca domo.
Illuc quas mittit diues Panchaia merces
Eoique Arabes, pinguis et Assyria,
Et nostri memores lacrimae fundantur eodem:
Sic ego componi uersus in ossa uelim.
Sed tristem mortis demonstret littera casum
Atque haec in celebri carmina fronte notet:
'Lygdamus hic situs est: dolor huic et cura Neaerae,
Coniugis ereptae, causa perire fuit.'

---

3 Quid prodest caelum uotis implesse, Neaera,
Blandaque cum multa tura dedisse prece,
Non ut marmorei prodirem e limine tecti,
Insignis clara conspicuusque domo,
Aut ut multa mei renouarent iugera tauri
Et magnas messes terra benigna daret,
Sed tecum ut longae sociarem gaudia uitae
Inque tuo caderet nostra senecta sinu

VAR. LECT. 15 precatae ς: rogate **Ag** rogatae **V** togatę **G** || 17 quae] **V** *mg. m.* 2 quoque || 18 legent, l *ex corr.* **G**; legant *et* spargant ς || 19 lyeo **A** lieo **GV** || 21 uelis (*uel* uittis) *Itali*: uentis **O** linis *I. H. Vossius* || 23 Illuc ς: Illic **O** || 24 Heoiq; *ex corr.* **G** | pinguis ς: diues **O** | assiria **AV** || 25 la≡crimae, c *ex corr.* **G** || 27 casum **G**: causam **AV** || 29 Ligdamus **AV** | et cura **g**: et cara **G** (*et* **V** *m.* 2 *mg.*) et cā (= causa) **AV** *m.* 1 | Neaerae *Itali*: neera **O**

3. Ad neeram. Rca. **AV** Elegia III **G** *m. rec. in* 2 *lin. interst.* || 3 thura **O** || 6 daret, r *ex corr.* **G** || 7 sociarē **G**: sociarent **AV**

Tunc cum permenso defunctus tempore lucis
Nudus Lethaea cogerer ire rate?
Nam graue quid prodest pondus mihi diuitis auri,
Aruaque si findant pinguia mille boues?
Quidue domus prodest Phrygiis innixa columnis,
Taenare siue tuis, siue Caryste tuis,
Et nemora in domibus sacros imitantia lucos
Aurataeque trabes marmoreumque solum?
Quidue in Erythraeo legitur quae litore concha
Tinctaque Sidonio murice lana iuuat,
Et quae praeterea populus miratur? in illis
Inuidia est: falso plurima uulgus amat.
Non opibus mentes hominum curaeque leuantur:
Nam Fortuna sua tempora lege regit.
Sit mihi paupertas tecum iocunda, Neaera:
At sine te regum munera nulla uolo.
O niueam, quae te poterit mihi reddere, lucem!
O mihi felicem terque quaterque diem!
At si, pro dulci reditu quaecumqne uouentur,
Audiat auersa non meus aurę deus,
Non me regna iuuant nec Lydius aurifer amnis
Nec quas terrarum sustinet orbis opes.
Haec alii cupiant, liceat mihi paupere cultu
Securo cara coniuge posse frui.
Adsis et timidis faueas, Saturnia, uotis,
Et faueas concha, Cypria, uecta tua.
Aut si fata negant reditum tristesque sorores,

Var. lect. 9 permenso **O**: pŗaemensae *Itali* ‖ 10 lethea **AV** ‖ 11—13 *hab. Par.* ‖ 11 Quid prodesse potest pondus graue d. a. *Par.* ‖ 13 phrigiis **A** *Par.* frigiis **V** ‖ 14 cariste **G** thariste **AV** *m.* 1 (chariste **V** *m.* 2) ‖ 16—22 *hab. Par.* ‖ 17 in erithreo **O** meritheo *Par.* p ĩntheo *Par.* n | legitur qu(a)e **G** *Par.* (*et* **V** *m.* 2 *mg.*): legiturq; in **AV** *m.* 1 ‖ 18 sydonio **G** ‖ 20 Inuidia est **G** *Par.*: Inuida quae **AV** ‖ 21, 22 *hab. Fris.* ‖ 21 homini **A, V** (*corr. mg. m.* 2), **g** ‖ 22 Nam **O** *Par.*: Nec *Fris.* | regit **G** *Par.*: gerit **AV** *Fris.* ‖ 23 iucunda **G** ‖ 24 At **G** (*et* **V** *m.* 2): Et **AV** *m.* 1 ‖ 28 aduersa **O**, *corr.* **V** *m.* 2 ‖ 29—33 *hab. Par., uerba* Lidius aurifer amnis *Fris.* ‖ 29 Non **G** *Par.*: Nec **AV** | iuuant **AV** *Par.*: iuuent (e *ex corr.*) **G** | nec **O** *Par.*: non ς | lidius **AV** *Par., Fris.* 32 Securo uitae munere p. f. *Par.* ‖ 33 Assis **O** ‖ 35 Aụ̈t (u *del. m.* 2) **G**

Stamina quae ducunt quaeque futura neunt,
Me uocet in uastos amnes nigramque paludem
Ditis et ignaua luridus Orcus aqua.

---

4 Di meliora ferant, nec sint mihi somnia uera,
Quae tulit hesterna pessima nocte quies.
Ite procul uanis falsumque auertite uisum,
Desinite in notis quaerere uelle fidem.
Diui uera monent, uenturae nuntia sortis
Uera monent Tuscis exta probata uiris:
Somnia fallaci ludunt temeraria nocte
Et pauidas mentes falsa timere iubent.
Et uanum euentura hominum genus omina noctis
Farre pio placant et saliente sale?
Et tamen, utcumque est, siue illi uera moneri,
Mendaci somno credere siue uolent:
Efficiat uanos noctis Lucina timores
Et frustra inmeritum pertimuisse uelit,
Si mea nec turpi mens est obnoxia facto
Nec laesit magnos impia lingua deos.
Iam Nox aetherium nigris emensa quadrigis
Mundum caeruleo lauerat amne rotas,

VAR. LECT. 36 neunt] canunt *Heinsius*; *at cf. G. Loewe, prodr. gloss.* 409 || 37 in] ad *I. H. Vossius* || 38 Ditis *Itali*: Diues **O** | et ς: in **O** ab *L. Muellerus* | orchus **A.** *uerba* luridus orcus *hab. Fris.*

4. De uisione somnii in quo sibi de neera phębus uaticinatus est. R^{ca}. **AV** Elegia IV **G** *m. rec. in* 2 *lin. interst.* || 1 Di **G**: Dii **AV** | mihi somnia **O**: insomnia ς || 2 hesterna, *ita* **O** || 3 uanis (*i. e.* ad uanos) *scripsi*: uani **O** uanum **V** *m.* 2 *mg.* || 4 Desine et in **G**, *corr.* **g** | in uotis **O**, *quod correxi. nec enim actiua uocabuli* notus *significatio* (in notis = in eis qui uos norunt) *Plauto, Phaedro aliisque usitata hunc poetam dedecet. coniecerunt Scaliger* in uobis, *Muretus* in uanis, *Statius* in uentis *uel* inuitis, *Guietus* in nobis, *Heinsius* in ueris || 5 manent **G**, *corr.* **g** || 7, 8 *hab. Fris. et Par.* || 9 At **g** | uanum euentura *scripsi*: uanum uentura **G** natum maturas **AV** natum in curas ς uanum metuens **g** | omina, *ita* **O** || 10 placent **G**, *corr.* **g** || 11 moneri (*ita* **G**) *in* monenti *corr.* **g** || 13 tremores *L. Muellerus* || 14 immeritum **G** | pertinuisse **A**, *corr. m. rec.* || 17 (a)ethereum **AV** | emensa **V** *mg. m.* 2: emersa **AV** dimensa **G**; *fort.* demensa

Nec me sopierat menti deus utilis aegrae:
Somnus sollicitas deficit ante domos.
Tandem, cum summo Phoebus prospexit ab ortu,
Pressit languentis lumina sera quies.
Hic iuuenis casta redimitus tempora lauro
Est uisus nostra ponere sede pedem.
Non illo quicquam formosius ulla priorum
Aetas, humanum nec tulit ille decus.
Intonsi crines longa cervice fluebant,
Stillabat Syrio myrtea rore coma.
Candor erat, qualem praefert Latonia Luna,
Et color in niueo corpore purpureus,
Ut iuueni primum uirgo deducta marito
Inficitur teneras ore nitente genas,
Aut cum contexunt amarantis alba puellae
Lilia et autumno candida mala rubent.
Ima uidebatur talis illudere palla:
Namque haec in nitido corpore uestis erat.
Artis opus rarae, fulgens testudine et auro
Pendebat laeua garrula parte lyra.
Hanc primum ueniens plectro modulatus eburno,
Felices cantus ore sonante dedit;
Sed postquam fuerant digiti cum uoce locuti,
Edidit haec dulci tristia uerba modo:
'Salue, cura deum: casto nam rite poetae
Phoebusque et Bacchus Pieridesque fauent.
Sed proles Semelae Bacchus doctaeque sorores
Dicere non norunt, quid ferat hora sequens;
At mihi fatorum leges aeuique futuri

Var. lect. 19 menti sopor utilis egre est *hab. Par.* ‖ 21 summa — ab Oeta *Marklandus ad Statii silu.* II 2, 45 | perspexit **G** ‖ 26 humanum nec uidet illud opus **O**, *quod correxi.* heroum nec tulit ulla domus *Lachmannus* ‖ 28 Syrio *Itali*: tyrio **O** | myrtea **G**: mirthea **AV** myrrea **g** ‖ 32 nitente *scripsi*: rubente **O** ‖ 33 Aut *Itali*: Et **O** Ut ς ‖ 35 Ima] Iamque **G** ‖ 36 haec] *malim* aeca, *i. e.* aequa ‖ 38 lira **AV** ‖ 41 loquti **A** ‖ 42 dulci tristia *Broukhusius*: tristi dulcia **O** | modo *ex corr.* **G** ‖ 44 *et* 45 bachus **AV** ‖ 45 semele **AV**: semelis **G** semeles ς ‖ 47 aeuique **g**: cuique **AV** cuiusque **G**

Euentura pater posse uidere dedit.
Quare ego quae dico non fallax accipe uates,
Quodque deus uero Cynthius ore feram.
Tantum cara tibi, quantum nec filia matri,
Quantum nec cupido bella puella uiro,
Pro qua sollicitas caelestia numina uotis,
Quae tibi securos non sinit ire dies
Et, cum te fusco Somnus uelauit amictu,
Uanum nocturnis fallit imaginibus,
Carminibus celebrata tuis formosa Neaera
Alterius mauult esse puella uiri,
Diuersasque suas agitat mens impia curas,
Nec gaudet casta nupta Neaera domo.
A, crudele genus nec fidum femina nomen;
A, pereat, didicit fallere siqua uirum.
Sed flecti poterit: mens est mutabilis illis:
Tu modo cum multa brachia tende prece.
Saeuus Amor docuit ualidos tentare labores,
Saeuus Amor docuit uerbera posse pati.
Me quondam Admeti niueas pauisse iuuencas
Non est in uanum fabula ficta iocum:
Tunc ego nec cithara poteram gaudere canora
Nec similes chordis reddere uoce sonos,
Sed perlucenti cantum meditabar auena
Ille ego Latonae filius atque Iouis.
Nescis quid sit amor, iuuenis, si ferre recusas
Immitem dominam coniugiumque ferum.
Ergo ne dubita blandas adhibere querellas:
Uincuntur molli pectora dura prece.

VAR. LECT. 50 Quodque **G**: Quidque **AV** | feram *Broukhusius*: ferat **O** ‖ 56 Vanis nocturnum *I. H. Vossius* ‖ 59 suas] tuis *Lipsius* ‖ 60 nerea **V** ‖ 61 *et* 62 Ha **A** Ah **GV** ‖ 63 mens e. m. i. *hab. Par.* | illis **AV** *Par.*: illi[illegible] **G** illi ς ‖ 64 prece **G** (*et* **V** *mg. m.* 2): fide **AV** *m.* 1 ‖ *hic* 65 *incipit* **F**, *hoc est, fragmentum uetustum Cuiacii* | 65 *habet* **F**: *om.* **O**; Flere nec ante pedes pudeat dominamque uocare **g** Saeuus Amor docuit dominae fera uerba minantis ς *inserunt. pro* ualidos *L. Muellerus mauult* uarios; *ego praefero* uastos ‖ 66 *hab. Fris.* | posse **O** *Fris.*: saeua **F** ‖ 69 canora *Itali*: sonora **O** *Plant.* ‖ 70 cordis **A** ‖ 71 cantum **O**: cantus ς *Plant.* ‖ 75 querelas **O** ‖ 76 *hab. Par.*

Quod si uera canunt sacris oracula templis,
Haec illi nostro nomine dicta refer:
Hoc tibi coniugium promittit Delius ipse;
Felix hoc: alium desine uelle uirum.'
Dixit, et ignauus defluxit corpore somnus.
A, ego non possum tanta uidere mala!
Nec tibi crediderim uotis contraria uota
Nec tantum crimen pectore inesse tuo.
Nam te nec uasti genuerunt aequora ponti
Nec flammam uoluens ore Chimaera fero
Nec canis anguinea redimitus terga caterua,
Cui tres sunt linguae tergeminumque caput,
Scyllaque uirgineam canibus succincta figuram,
Nec te conceptam saeua leaena tulit,
Barbara nec Scythiae tellus horrendaue Syrtis,
Sed culta et duris non habitanda domus
Et longe ante alias omnes mitissima mater
Isque pater quo non alter amabilior.
Haec deus in melius crudelia somnia uertat
Et iubeat tepidos irrita ferre Notos.

5

Uos tenet, Etruscis manat quae fontibus unda,
Unda sub aestiuum non adeunda Canem,
Nunc autem sacris Baiarum proxima lymphis,
Cum se purpureo uere remittit humus:
At mihi Persephone nigram denuntiat horam:
Immerito iuueni parce nocere, dea.

VAR. LECT. 80 hoc **F** *teste Scaligero in castigatt.* (*sed in Plant., quae hoc exhibet, nil adnotauit*): ac **O**; *malim* ipse Felix: ecce alium ‖ 81 corpore **O** *Plant.*: pectore ς ‖ 82 Ha **A** Ah **GV** | non possum **G**: ne possim **AV** *Plant.* ‖ 84 pectori **V** *m.* 1 ‖ 86 flamam **AV** ‖ 87 canis anguinea **G** *Plant.*: consanguinea **AV** *m.* 1 (*corr. mg. m.* 2) ‖ 89 Scillaque **AV** *m.* 1; Scyllaue *Heynius* | succincta **F**: submixta **AV** sūmista (‾mist *ex corr.* ?) **G** ‖ 92 duris **O**: diris *Itali, Plant.* ‖ 93 alias **O** *Plant.*: alios *Itali* ‖ 96 irrita *Itali* (*Plant.*): impia **O**

5. De se egrotante. R^ca^. **AV**. Elegia V **G** *m. rec. in* 2 *lin. interu.* (Balneę etrusce **g**) ‖ 1 Uos **g**, *Plant.*: os (*litt. init. om.*) **V** Nos **AG** ‖ 3 proxima *Sciopptus*: maxima **O** *Plant.* ‖ 4 humus **O** *Plant.*: hyems *Itali*

Non ego temptaui nulli temeranda uirorum
  Audax laudandae sacra docere deae;
Nec mea mortiferis infecit pocula sucis
  Dextera nec cuiquam trita uenena dedit;
Nec nos sacrilegos templis ammouimus ignes,
  Nec cor sollicitant furta nefanda meum;
Nec nos insanae meditantes iurgia mentis
  Impia in aduersos soluimus ora deos.
Et nondum cani nigros laesere capillos,
  Nec uenit tardo curua senecta pede.
Natalem primo nostrum uidere parentes,
  Cum cecidit fato consul uterque pari.
Quid fraudare iuuat uitem crescentibus uuis
  Et modo nata mala uellere poma manu?
Parcite, pallentes undas quicumque tenetis
  Duraque sortiti tertia regna dei.
Elysios olim liceat cognoscere campos
  Lethaeamque ratem Cimmeriosque lacus,
Cum mea rugosa pallebunt ora senecta
  Et referam pueris tempora prisca senex.
Atque utinam uano nequicquam terrear aestu!
  Languent ter quinos sed mea membra dies.
At uobis Tuscae celebrantur numina lymphae
  Et facilis lenta pellitur unda manu.
Uiuite felices, memores et uiuite nostri,

VAR. LECT. 7 tentaui **GV** | uirorum ς: deorum **O** *Plant.*; piorum *Itali* || 8 celandae *Itali* | sacra subire *Heinsius* noscere (*uel* discere) sacra *Heynius* cernere sacra *I. H. Vossius* || 9 succis **O** (su· *in* **G** *ex corr.*) || 10 trita **F** (*teste Scaligero in castigg., in Plant. nil adnotatum*): certa **O** *Plant.* tetra **g** || 11 sacrilegos **G** *Plant.*: sacrilegis **AV** sacrilegi ς | admouimus **g** *Plant.*: amouimus **O** | ignes **g** *Plant.*: egros **A** ęgros **GV** || 12 *hab. Par.* | Sollicitant pectus *Par.* | furta *scripsi*: facta **O** *Par.*, *Plant.* | reum *Par.* || 13 meditantes **G** *Plant.*: meditantis **AV** || 15, 16 *hab. Par.* | Sepe quidem cani *Par.* || 16 Nec uenit tacita *Par.* || 18 façto **V** || 19, 20 *hab. Fris. et Par.* || 21 undas **O** *Plant.*: umbras *Itali* || 23 Elisios **AG** || 24 Letheamq; **AG** | rathem **A** | cimer. **G** chymer. **V** chimer. **A** || 27 nec quicquam **AV** || 29 At vobis (v *ex corr.* ?) **G** (*et* **V** *m.* 2): Atq; nobis **AV** *m.* 1 | limphe **A** nymphę *in* linphe **V** *corr. m.* 2 || 31 et **AV** *Plant.*: at **G**

Siue erimus seu nos fata fuisse uelint.
Interea nigras pecudes promittite Diti
Et niuei lactis pocula mixta mero.

---

6 Candide Liber, ades (sic sit tibi mystica uitis
Semper, sic edera tempora uincta geras):
Aufer et ipse meum, pater o, medicare dolorem:
Saepe tuo cecidit munere uictus amor.
Care puer, madeant generoso pocula Baccho:
I, nobis prona funde Falerna manu.
Ite procul durum, Curae, genus, ite Labores:
Fulserit hic niueis Delius alitibus.
Uos modo proposito, dulces, faueatis, amici;
Neue neget quisquam me duce se comitem;
Aut si quis uini certamen mite recusat,
Fallat eum tecto cara puella dolo.
Ille facit dites animos deus, ille ferocem
Contudit et dominae misit in arbitrium,
Armenias tigres et fuluas ille leaenas
Uicit et indomitis mollia corda dedit.
Haec Amor et maiora ualet. sed poscite Bacchi
Munera: quem uestrum pocula sicca iuuant?
Conuenit ex aequo nec toruus Liber in illis,
Qui se quique una uina iocosa colunt;
Conuenit iratus nimium nimiumque seueros:

VAR. LECT. 32 uolent ς

6. Alloquitur bachum et demum reuertitur ad neeram. R^ca^. **AV** Elegia VI **G** *m. rec. in* 2 *lin. interst.* ‖ 1 uictis **V** ‖ 2 edera *hab. Fris.*: hedera **O** | geras **G** *Plant.*: feras **AV** ‖ 3 pater et (o *ego*) medicare *Heynius*: pariter medicando **O** *Plant.* medicande *Statius* patera medicante *Wyngardius* ‖ 5 bacho **A** baco **V** ‖ 6 I *Scaliger*: Et **O** *Plant.* En *L. Muellerus* | phalerna **G** ‖ 7 *hab. Par.* | curae durum *Par.* dirum curae **G** ‖ 8 Fulxerit (*suprascr.* s) **G**, Fulserit **V** *m.* 2, *Plant.*: Pulserit **AV** *m.* 1 | Delius *hic suspectus; fort.* Euhius ‖ 11 Aut **O**: At ς *Plant.* | recusat **O** *Plant.*: recuset ς ‖ 13 *hab. Par.* | mites *Lipsius* | feroces **G** *Par.* | 14 Contulit **V** *m.* 1 ‖ 15 Armenas **AV** ‖ 16 *hab. Par.* ‖ 17 ualet ς: uolet **O** *Plant.* | bachi **AV** ‖ 19 illis **O**: illos ς, *Plant.* ‖ 21 Conuenit — seueros *Lachmannus*: Non uenit (Iam uenit ς *Plant.*) — seuerus **O** seueris *Liuineius*

Qui timet irati numina magna, bibat.
Quales his poenas qualis quantusque minetur,
Cadmeae matris praeda cruenta docet.
Sed procul a nobis hic sit timor, illaque, siqua,
Quid ualeat laesi sentiat ira dei.
Quid precor, a demens? uenti temeraria uota,
Aeriae et nubes diripienda ferant.
Quamuis nulla mei superest tibi cura, Neaera,
Sis felix, et sint candida fata tua.
At nos securae reddamus tempora mensae:
Uenit post multas una serena dies.
Ei mihi, difficile est imitari gaudia falsa,
Difficile est tristi fingere mente iocum,
Nec bene mendaci risus componitur ore,
Nec bene sollicitis ebria uerba sonant.
Quid queror infelix? turpes discedite curae:
Odit Lenaeus tristia uerba pater.
Gnosia, Theseae quondam periuria linguae
Fleuisti ignoto sola relicta mari:
Sic cecinit pro te doctus, Minoi, Catullus
Ingrati referens impia facta uiri.
Uos ego nunc moneo: felix, quicumque dolore
Alterius disces posse cauere tuom.
Nec uos aut capiant pendentia brachia collo

VAR. LECT. 23 Qualis **G** | qualis quantusque **F**: deus hic quantũque **AV** *m.* 1 (-tunq;); deus hic quęcũque **G** *et* **V** *mg. m.* 2 ‖ 25 siqua *scripsi*: siqua est **O** *Plant.* sicca *Muretus* ‖ 26 sentiat **A** *Plant.*: sentiet **GV** ‖ 27 ah **O** ‖ 32 multas **O** *Plant.*: multos **V** *m.* 2. *ceterum* maestas *uel simile aliquid expectes* ‖ *post* 32 *nouum carmen in* **O** *incipit* (De neera conqueritur **A** De Neera quę de Amasio conqueritur **V** Elegia VII **G** *m. rec. in* 2 *litt. interst.*): *primus Muretus coniunxit cum priore* ‖ 33—36 *hab. Fris. et Par.* ‖ 33 Hei mihi **g** *Plant.*: Et mihi *Fris.* Si mihi **O** (*sed* **V** *m.* 1 I) Heu quam *Par.* ‖ 34 locum *Fris. m.* 1, *Par.* **n** *m.* 1 ‖ 35, 36 Non bene *Par.* ‖ 37 queror **AV** *Plant.*: loquor **G** ‖ 40 mari *non concoquo; malim* loco ‖ 41 Sic] Sed ς; *fort.* Si, *ut a* 43 *apodosis incipiat* ‖ 43 nunc **AV** *Plant.*: sic **G** | felix q. d. *et* 44 *hab. Fris. et Par.* ‖ 44 disces **AV** *Fris. Plant.*: discis **G** didicit *Par.* | cauere tuom *scripsi*: cauere tuo *Fris.* cauere tuos *sic* **F** cauere suum *Par.* carere tuo **O** cauere tuum ς ‖ 45, 46 *hab. Par.* ‖ 45 Ne uos decipiant *Par.* | bracchia **A**

Aut fallat blanda subdola lingua prece.
Etsi perque suos fallax iurauit ocellos
Iunonemque suam perque suam Uenerem,
Nulla fides inerit: periuria ridet amantum
Iupiter et uentos irrita ferre iubet.
Ergo quid totiens fallacis uerba puellae
Conqueror? ite a me, seria uerba, precor.
Quam uellem tecum longas requiescere noctes
Et tecum longos peruigilare dies,
Perfida, nec merito, nobis nec amica merenti,
Perfida, sed, quamuis perfida, cara tamen!
Naida Bacchus amat: cessas, o lente minister?
Temperet annosum Marcia lympha merum.
Non ego, si fugiat nostrae conuiuia mensae
Ignotum cupiens uana puella torum,
Sollicitus repetam tota suspiria nocte.
Tu puer, i, liquidum fortius adde merum.
Iam dudum Syrio madefactus tempora nardo
Debueram sertis implicuisse comas.

II. PANEGYRICVS MESSALAE.

Te, Messala, canam: quamquam tua cognita uirtus
Terret, ut infirmae ualeant subsistere uires,

VAR. LECT. 46 Nec capiat blanda *Par.* | subdola *Heinsius*: sordida **O** *Par. Plant.* | prece **G** *Par. Plant.*: fide **AV** || 47 iurabit ς iurarit *Fruterius* || 51 quid ς, *Plant.*: qui **O**; *an* qur ? || 52 precor **O** *Plant.*: procul *Itali* || *post* 52 *in* 2 *lin. interst.* Elegia VIII *m. rec.* **G** || 55 nec amica *Itali*: inimica **O** *Plant.* || 57 Nayda **V** | bachus **AV** || 58 martia **O** || 59 fugiat ς *Plant.*: fugiet **G** fugiẹt **V** fugit **A** (*suprascr. m. rec.* e) || 60 thorum **AV** || 61 Solicitus **AV** || 62 i **F**: et **O** || 63 Syrio *Itali*: tyrio **O** *Plant.* || *post* 64 *in* **AV** *sequitur carmen* IV 6 (= IV 12)

Panegyricus Messalae **F**: Albii. tib. de laudibus messalae panagiricus **G** *litt. maiusc. rubr.* Laudes messale. Rca. **AV**. II *addidi. uulgo hic liber quartus incipit, quae distributio Italis debetur* || 1 tua (*suprascr.* t me) **G**: mea **AV** *Plant.* me ς || 2 ualeant **O**: nequeant **F** | ures **V** *m.* 1

Incipiam tamen; ac meritas si carmina laudes
Deficiant (humilis tantis sim conditor actis,
Nec tua praeter te cartis intexere quisquam
Facta queat, dictis ut non maiora supersint):
Est nobis uoluisse satis; nec munera parua
Respueris: etiam Phoebo gratissima dona
Cres tulit, et cunctis Baccho iocundior hospes
Icarus, ut puro testantur sidera caelo
Erigoneque Canisque, neget ne longior aetas.
Quin etiam Alcides deus ascensurus Olympum
Laeta Molorcheis posuit uestigia tectis,
Paruaque caelestes placauit mica, nec illis
Semper inaurato taurus cadit hostia cornu.
Hic quoque sit gratus paruus labor, ut tibi possim
Inde alios aliosque memor componere uersus.
Alter dicat opus magni mirabile mundi,
Qualis in immenso desederit aere tellus,
Qualis et in curuum pontus confluxerit orbem,
Et uagus e terris qua surgere quiuerit aer,
Huic ut contextus passim fluat igneus aether
Pendentique super claudantur ut omnia caelo:
At, quodcumque meae poterunt audere Camenae,
Seu tibi par poterunt seu, quod spes abnuit, ultra
Siue minus (certeque canent minus), omne uouemus
Hoc tibi, nec tanto careat mihi carmine carta.
Nam, quamquam antiquae gentis superant tibi laudes,
Non tua maiorum contenta est gloria fama,

VAR. LECT. 3 ac meritas **g**: at **F**, *tum* meritas *Plant.*, a meritis **O** || 4 tantisque humilis *Broukhusius* || 5 praeter te **O**: te praeter *Plant.* | chartis **G** || 9 bacho **AV** | iucundior **G** || 10 Ycarus **AV** | puro **V** *m.* 2, *Plant.*: pura **AV** *m.* 1 primo **G** || 11 ne **G** *Plant.*: *om.* **AV** (*in hoc m.* 2 iam *suprascr.*) || 12 olimpum **AV** || 13 tectis *Itali*, *Plant.*: terris **O** || 14 placauit **g**, *Plant.*: pacauit **O** || 18 dicat opus **V**: dictat opus **AF** opus dicat **G** || 19 desederit **OF**: descenderit ς | aere **O** *Plant.*: aera ς || 21 a terris *Barthius* | quiuerit *scripsi*: nititur **O** *Plant.* || 22 Huic **G**, *Plant.*: Hinc **AV** | ut *Itali*: et **O** *Plant.* || 24 At (A *ex corr.* ?) **G**, *Plant.*: Et **AV** || 26 uouemus **OF**: mouemus ς || 27 nec **O**: ne *Plant.* | carmine **AVF**: nomine **G** | charta **G** || 28 antiq; **A** || 29, *tum* 28 *habent Par.* (*in* **n**: In panegorico mesale), 28 *ita*: Quamuis antique superent preconia gentis

Nec quaeris quid quaque index sub imagine dicat,
Sed generis priscos contendis uincere honores,
Quam tibi maiores maius decus ipse futuris;
Ac tua non titulus capiet sub nomine facta,
Aeterno sed erunt tibi magna uolumina uersu,
Conuenientque tuas cupidi componere laudes
Undique quique canent uincto pede quique soluto:
Quis potius, certamen erit. sim uictor in illis,
Ut nostrum tantis inscribam nomen in actis.
Nam quis te maiora gerit castrisue foroue?
Nec tamen hic aut hic tibi laus maiorue minorue,
Iusta pari premitur ueluti cum pondere libra,
Prona nec hac plus parte sedet nec surgit ab illa,
Qualis, inaequatum si quando onus urget utrimque,
Instabilis natat alterno depressior orbe.
Nam seu diuersi fremat inconstantia uulgi,
Non alius sedare queat; seu iudicis ira
Sit placanda, tuis poterit mitescere uerbis.
Non Pylos aut Ithace tantos genuisse feruntur
Nestora uel paruae magnum decus urbis Ulixem,
Uixerit ille senex quamuis, dum terna per orbem
Saecula fertilibus Titan decurreret horis,
Ille per ignotas audax errauerit urbes,
Qua maris extremis tellus includitur undis.
Nam Ciconumque manus aduersis reppulit armis,
Nec ualuit lotos coeptos auertere cursus,

VAR. LECT. 30 quid quaque index **F**: quid qua iudex **O** ‖ 31, 32 *hab. Par.* ‖ 31 Uincere sed priscos gen. cont. hon. *Par.* ‖ 32 futuris **O** *Par., Plant.*: futurus ς ‖ 33 Ac **G**: At **AV** *Plant.* | stemmate *Itali* ‖ 36 canunt ς | iuncto **V** ‖ 37 potius **O** *Plant.*: potior ς ‖ 39—47 *ita collocant* **G** *Par.*: 45, 46, 47; 39—44 ‖ 39 Nam quis te **F**: Nam quique tibi **AV** Nec quisquam **G** *Par.* ‖ castrisue *Par.* ς *Plant.*: cartis ne (*sic*) **AV** chartisue **G** ‖ 40 hic aut hic tibi **FG** (*et* **V** *m.* 2): hic aut tibi **AV** *m.* 1 hec aut hec tibi *Par.* hinc aut hinc tibi *Itali* ‖ 43 Sed magis equatum *Par.* | utrũq; **G** | 46 Nemo magis sedare *Par.* ‖ 48 phylos **V** | ithace (ith *ex corr.*) **G**: ytace **AV** ‖ 49 ulixem **AV**: ulissem (ss *ex corr.*) **G** Ulyssem *Plant.* ‖ 51 tytan **AV** | decurrerit *Plant.* ‖ 54 repulit **AV** ‖ 55 Nec ς: Non **O** *Plant.* | lothos **F**: ciclops **AV** cyclops **G** | coeptos ς: captos **F** tempus **O** | auertere ς *Plant.*: conuertere **GV** uertere **A**

Cessit et Aetnaeae Neptunius incola rupis
Uicta Maroneo foedatus lumina Baccho;
Uexit et Aeolios placidum per Nerea uentos;
Incultos adiit Laestrygonas Antiphatenque,
Nobilis Artacie gelida quos irrigat unda;
Solum nec doctae uerterunt pocula Circes,
Quamuis illa foret Solis genus, apta uel herbis
Captas uel cantu ueteres mutare figuras;
Cimmerion etiam obscuras accessit ad arces,
Quis numquam candente dies apparuit ortu,
Seu supra terras Phoebus seu curreret infra;
Uidit, ut inferno Plutonis subdita regno
Magna deum proles leuibus discurreret umbris,
Praeteriitque cita Sirenum litora puppi.
Illum inter geminae nantem confinia mortis
Nec Scyllae saeuo conterruit impetus ore,
Cum canibus rabidas inter fera serperet undas,
Nec uiolenta suo consumpsit more Charybdis,
Uel si sublimis fluctu consurgeret imo,
Uel si interrupto nudaret gurgite pontum.
Non uiolata uagi sileantur pascua Solis,
Non amor et fecunda Atlantidos arua Calypsus,
Finis et erroris miseri Phaeacia tellus.
Atque haec seu nostras inter sunt cognita terras,

VAR. LECT. 56 et **G**, *Plant.*: *om.* **AV** *m.* 1 (*add. m.* 2) | ethne(a)e **AV** | neptumnius **A** neptunus (i *m.* 2 *suprascr.*) **V** ‖ 57 bacho **AV** ‖ 59 lestrigonas **O** | antiphatemque **AV**, -tenque **G** *Plant.* ‖ 60 Mobilis *Scaliger* | artacre **A** artacle (*uel* – de) **V** (*mg. m.* 2 artacre) arsaciȩ (s *et* i *ex corr.*) **G** Artaciae *Plant.* | gelida *Itali*: gelidos **O** *Plant.* | irrigat **O**: erigit **F**; *fuitne* frigerat *?* ‖ 61 circes, i *ex corr.* **G** ‖ 63 Captas *scripsi*: Aptaque **O** *Plant.* ‖ 64 Cymerion **A** Cimerion **GV** (*in* **G** Ci *ex corr.*) Cimmeriorum ς ‖ 66 supra **O**: super ς *Plant.* ‖ 67 ut] et **g** | Plutoni ς *Plant.* ‖ 68 umbris **g** *Plant.*: undis **O** ‖ 69 syrenum **G** ‖ 70 inter geminae **F**: tergeminȩ **G** termin(a)e **A** *m.* 1 **V** *m.* 1 (*in utroque* ge *m.* 2 *suprascr.*) ‖ 71 ore **F**: orbe **O** impete turbo *Crusius* ‖ 72 rabidas **O**: rapidas ς *Plant.* | fera **g**: freta **O** ‖ 73 more ς *Plant.*: in ore **O** in orbe *I. H. Vossius* | caribdis **AV** carybdis **G** ‖ 76 uiola=ta (*prius* a *ex corr.*) **G** (*erat primitus, ni fallor,* uiolenta) ‖ 77 calipsus **g** *Plant.*: calipsos **O** ‖ 78 erroris miseri **F**: errorum miseri **O** misero *Itali* | feacia **AV**

Fabula siue nouum dedit his erroribus orbem,
Sit labor illius, tua dum facundia, maior.
Iam te non alius belli tenet aptius artes,
Qua deceat tutam castris praeducere fossam,
Qualiter aduersos hosti defigere ceruos;
Quemue locum ducto melius sit claudere uallo,
Fontibus ut dulces erumpat terra liquores
Ut facilisque tuis aditus sit et arduus hosti;
Laudis ut assiduo uigeat certamine miles,
Quis tardamue sudem melius celeremue sagittam
Iecerit aut lento perfregerit obuia pilo
Et quis equum celeremue arto compescere freno
Possitue effusas tardo permittere habenas
Inque uicem modo derecto contendere passu
Seu, libeat, curuo breuius conuertere gyro,
Quis parma, seu dextra uelit seu laeua tueri,
Siue hac siue illac ueniat grauis impetus hastae,
Aptior aut signata cita loca tangere funda.
Iam simul audacis ueniant certamina Martis,
Aduersisque parent acies concurrere signis,
Tunc tibi non desit faciem componere pugnae,
Seu sit opus quadratum acies consistat in agmen,
Rectus ut aequatis decurrat frontibus ordo,

VAR. LECT. 82—105 *hab. Par.* ‖ 82 Iam *Itali*: Nam **O** *Par.*, *Plant.* ‖ 83 praeducere **OF** *Par.*: perducere *uel* producere ς ‖ 84 ceruos *Itali*: neruos **G** *Par.*, *Plant.* uernos **AV** (*in hoc in* neruos, *ut uid., corr.*) ‖ 87 Ut *Par.*, *Plant.*: Et **O** | stabulisq; *Par.* p, stabilisq; *Par.* n ‖ 88 ut *Par.*: et **O** *Plant.* | *uulgo post hunc uersum punctum ponunt* ‖ 91 Et quis **AV**: Ecquis **G** Aut quis *Par. Plant.* | celeremue **AV** *m.* 2 *Par. Plant.*: celeremne **G** celeremque **V** *m.* 1 celerem arctato *Itali* (angusto *L. Muellerus*) celeremque arcto *Ayrmannus. Lachmanno* celeremue *ex u.* 89 *huc uenisse uisum est* ‖ 92 Possitue *scripsi*: Possit et **O** *Par. Plant.* ‖ 93 directo **O** (direpto **V** *m.* 1), *correxi* | passu **OF** *Par.*: cursu ς ‖ 94 conuertere *Crusius*: contendere **O** *Par. Plant.* compellere *Broukhusius* | giro **AV** *Par.* ‖ 95 Quis parma seu **OF** *Par.*: Parma seu quos (quis) *Itali* ‖ 96 ueniat grauis **F** *Par.*: grandis uenit **O** (*sed in* **G** grandis *et* hastae *punctis notata*) ‖ 97 Aptior *Franckenius*: Amplior **OF** *Par.* | aut **O** *Par.*: ut **F** ‖ 98 audacis] aduersi *Par.* | ueniant *Par.*: uenient **O** ueniunt *Plant.* ‖ 99 parent **OF** *Par.*: parant *Itali* ‖ 100 Tunc **O** *Plant.*: Tum *Par.* ‖ 102 ut **F** *Par.*: in **O**

Seu libeat duplicem seiunctim cernere Martem,
Dexter uti laeuum teneat dextrumque sinister
Miles sitque duplex gemini uictoria casus.
At non per dubias errant mea carmina laudes:
Nam bellis experta cano. testis mihi uictae
Fortis Iapydiae miles, testis quoque fallax
Pannonius, gelidas passim disiectus in Alpes
Testis Arupinis et pauper natus in aruis,
Quem si quis uideat uetus ut non fregerit aetas,
Terna minus Pyliae miretur saecula famae.
112b Namque senex longae peragit dum *tempora uitae*
(Centum fecundos Titan renouauerat annos),
Ipse tamen uelox celerem super edere corpus
Gaudet equum ualidisque sedet moderator habenis.
Te duce non alias conuersus terga *Salassus*
Libera Romanae subiecit colla catenae.
Nec tamen his contentus eris: maiora peractis
Instant, compertum est ueracibus ut mihi signis,
Quis Amythaonius nequeat certare Melampus.
Nam modo fulgentem Tyrio subtegmine uestem
Indueras oriente die duce fertilis anni,
Splendidior liquidis cum Sol caput extulit undis
Et fera discordes tenuerunt flamina uenti,
Curua nec assuetos egerunt flumina cursus,
Quin rabidum placidis etiam mare constitit undis,
Ulla nec aerias uolucris perlabitur auras

VAR. LECT. 103 seiunctim *Scaliger*: seu iunctum **O** *Plant.* seu uinctum *Par.* ‖ 104 Dexter uti **F** *Par.*: Dexteraq; ut **AV** Dexter≡q; ut **G** | teneat] tentet *Salmasius* | sinister **OF** *Par.*: sinistra ς ‖ 105 geminis — castris ς ‖ 106 *num* Ac *?* ‖ 108 iapidię **G**: iapigie **A** iapugiae **V** Iapygiae *Plant.* ‖ 110 arupinis **F** (**A** *m.* 2) **g**: et arpinis **A** *m.* 1 (is *ex corr.*), **V** et alpinis **G** Arupinas *Scaliger* | in armis **O** *Plant., corr. Itali* ‖ 112 pili(a)e **AV** ‖ 112[b] *habent* **O** *Plant.: om.* ς | tempora uitae *I. H. Vossius*: s(a)ecula fam(a)e **AV** secula uitę (uitę *ex corr. ?*) **G** *Plant.* ‖ 113 fecundos **O** *Plant.*: fecundus ς | renouauerat ς: renouerat **AV** reuocauerat **G** renouauerit *Plant.* ‖ 115 Gaudet ς: Audet **O** *Plant.* ‖ 116 Salassus *scripsi:* domator **O** *Plant. ex glossa uocis* moderator; domante *L. Muellerus* Dalmata tergum *Heynius* ‖ 120 amithaonius **O** ‖ 126 rapidum **O** *Plant., corr. Guietus* ‖ 127 Ulla **O** *Plant.*: Nulla ς | aereas **O** *Plant.*

Nec quadrupes densas depascitur aspera siluas:
Quo largita tuis sunt muta silentia uotis.
Iupiter ipse leui uectus per inania curru
Affuit et caelo uicinum liquit Olympum
Intentaque tuis precibus se praebuit aure
Cunctaque ueraci capite annuit: additus aris
Laetior eluxit structos super ignis aceruos.
Quin hortante deo magnis insistere rebus
Incipe: non idem tibi sint aliisque triumphi.
Non te uicino remorabitur obuia Marte
Gallia nec latis audax Hispania terris
Nec fera Theraeo tellus obsessa colono,
Nec qua uel Nilus uel regia lympha Choaspes
Profluit aut rapidus, Cyri dementia, Gyndes,
Ardet Aractaeis aut unda parum hospita campis,
Nec qua regna uago Tomyris finiuit Araxe,
Impia nec saeuis celebrans conuiuia mensis
(Ultima uicinus Phoebo tenet arua) Padaeus:
Quaque Hebrus Tanaisque Getas rigat atque Magynos,
Quid moror? Oceanus ponto qua continet orbem,
Nulla tibi aduersis regio sese offeret armis.
Te manet inuictus Romano Marte Britannus
Teque interiecto mundi pars altera sole.
Nam circumfuso considit in aere tellus
Et quinque in partes toto disponitur orbe.

VAR. LECT. 129 Quo *scripsi*: Quin **O** *Plant. e u.* 126; Quam ς | sint *Itali* | muta **g**: multa **O** *Plant.* ‖ 134 Laetior **O** *Plant.*: Purior **g** ‖ 136 non *Itali*, *Plant.*: nunc **O** | iidem **G** | sint *Itali*: sunt **O** *Plant.* | aliique **G** ‖ 138 ispania **G** ‖ 139 Terȩo **g**: tetereo **AV** treicio **G** Rhoeteo *Itali*, *Plant.* ‖ 140 Coaspes (Co *ex corr. ?*) **G**: dyaspes **AV** Diaspes *Plant.* ‖ 141 Gyndes *Itali*: cidnus **G** cydnus **AVF** ‖ 142 Ardet Arectais (*sic*) **F**: Creteis ardet **O**; Ardet Arecteos — campos *Scaliger*; *formam* Aractaeis *restituit Heynius*; Radit Arectaeos — campos *Heinsius* Aret Arecteis — campis *Lachmannus* | aut unda **OF**: haut una *Heinsius* | parum hospita *Heynius*: perhospita **F** caristia **AV** charistia **G** per ostia *Heinsius* ‖ 143 tomyris (o *ex corr.*) **G** *Plant.*: tamiris **AV** ‖ 145 padeus **O** ‖ 146 Hebrus] Istrus *Broukhusius* | tanaysque **GV** | maginos **O** magynos **F**: Mosynos *Itali* Sigynos *Is. Vossius* Gelonos *I. H. Vossius* Macrones *L. Muellerus* ‖ 149 offerret armis **A** ‖ 151 considit *Heinsius*: consistit **O** *Plant.*

Atque duae gelido uastantur frigore semper:
Illic et densa tellus absconditur umbra,
Et nulla incepto perlabitur unda liquore,
Sed durata riget densam in glaciemque niuemque,
Quippe ubi non umquam Titan super egerit ortus.
At media est Phoebi semper subiecta calori,
Seu propior terris aestiuum fertur in orbem
Seu celer hibernas properat decurrere luces:
Non igitur presso tellus exsurgit aratro,
Nec frugem segetes praebent neque pabula terrae:
Non illic colit arua deus, Bacchusue Ceresue,
Nulla nec exustas habitant animalia partes.
Fertilis hanc inter posita est interque rigentes
Nostraque et huic aduersa solo pars altera nostro,
Quas similis utrimque tenens uicinia caeli
Temperat, alter et alterius uires necat aer;
Hinc placidus nobis per tempora uertitur annus:
Hinc et colla iugo didicit submittere taurus
Et lenta excelsos uitis conscendere ramos,
Tondeturque seges maturos annua partus,
Et ferro tellus, pontus confinditur aere,
Quin etiam structis exurgunt oppida muris.
Ergo, ubi per claros ierint tua facta triumphos,
Solus utroque idem diceris magnus in orbe.
Non ego sum satis ad tantae praeconia laudis,
Ipse mihi non si praescribat carmina Phoebus.
Est tibi, qui possit magnis se accingere rebus,
Ualgius: aeterno propior non alter Homero.
Languida non noster peragit labor otia, quamuis
Fortuna, ut mos est illi, me aduersa fatiget.

VAR. LECT. 154 denso **V** *m.* 1 ‖ 155 incerto *Guietus* ‖ 157 nunquam **V** ‖ 161 igitur **F**: ergo **O** | exsurgit **F** exurgit **O**: consurgit ς ‖ 162 neque **O**: nec ς *Plant.* ‖ 163 bachusue **AV** ‖ 165 rigentes ς *Plant.*: rigentem **O** ‖ 167 utriq; **G** utrinque *Plant.*: utrique **AV** ‖ 168 alter **O**: alteram **F** | necat *Itali*: negat **O** *Plant.* ‖ 169 uertitur *om.* **A**, *add. m.* 2 ‖ 170 Hinc **GV**: Huic **A** Hic ς *Plant.* ‖ 171 lentà **A**: lęta **G** leta **V** ‖ 173 confinditur ς *Plant.*: confunditur **O** (confi[illegible]nd. **G**) conscinditur *suprascr.* **g** ‖ 174 exurgitat opida **AV** ‖ 175 per claros *Scaliger*: praeclaros **O** *Plant.* | ierint **F**: poscent **O** cierint *Lachmannus* ‖ 181 ocia **GV**

Nam mihi, cum magnis opibus domus alta niteret,
Cui fuerant flaui ditantes ordine sulci
Horrea fecundas in deficientia messis,
Cuique pecus denso pascebant agmine colles
(Et domino satis et nimium furique lupoque),
Nunc desiderium superest: nam cura nouatur,
Cum memor anticos semper dolor admonet annos.
Sed licet asperiora cadant spolierque relictis,
Non te deficient nostrae memorare Camenae.
Nec solum tibi Pierii tribuentur honores:
Pro te uel rabidas ausim maris ire per undas,
Aduersis hiberna licet tumeant freta uentis,
Pro te uel densis solus subsistere turmis
Vel paruum Aetnaeae corpus committere flammae.
Sum quodcumque, tuum est. nostri si paruula cura
Sit tibi, quantalibet, si sit modo, non mihi regna
Lydia, non magni potior sit fama Gylippi,
Posse Meleteas nec mallem uincere cartas.
Quod tibi si uersus noster, totusue minusue,
Uel bene sit notus, summo uel inerret in ore,
Nulla mihi statuent finem te fata canendi.
Quin etiam mea cum tumulus contexerit ossa,
Seu matura dies celerem properat mihi mortem,
Longa manet seu uita, tamen, mutata figura
Seu me finget equum rigidos percurrere campos

VAR. LECT. 185 fecundas in def. messis *scripsi*: fecundis indeficientia mensis **O** fecundas ad deficientia messis **F** || 189 anticos *scripsi*: accitos **V** accitus **AG** anteactos **F** || 190 relictis ς *Plant.*: relictus **O** || 193 rapidas **O** *Plant.*, *corr.* ς | ausi **F** || 195 subsistere **OF**: obsistere ς || 196 paruum] pronum *Burmannus ad Prop.* I 6, 3 pauidum *Broukhusius* | ethne(a)e **AV** || 197 Sum **O** *Plant.*: Dum *Itali* | quodcumque **G** *Plant.*: quidcunque **AV** | si **O** *Plant.*: sit ς || 198 sit **O**: sint **F** || 199 Lidia **AV** | gilippi **O** (philippi **g**) || 200 melet[illegible]eas **G** meletheas **AV** | nec **G** *Plant.*: *om.* **AV** *m.* 1 (*add. m.* 2) | uincere **F**: mittere **O** | cartas **AV**: chartas **G** *Plant.* || 202 sit notus **O**: si totus *Plant.* | uel inerret in ore **O** *et*, *nisi quod* uel *in* **F** *deesse significatur*, *Plant.*: uel inhaeret in ore ς uel inhaereat ore **g** || 203 statuent **g** *Plant.*: statuunt **O** || 204 cum — contexerit *Itali*, *Plant.*: tunc — cum texerit **O** || 205 celerem **F**: fato **O** || 206 figura **AV**: figurā (*uirg. a m.* 2 ?) **G** figuram *Plant.*

Doctum seu tardi pecoris sim gloria taurus
Siue ego per liquidum uolucris uehar aera pennis,
Cum quemcumque hominem me longa receperit aetas,
Inceptis de te subtexam carmina cartis.

III. DE SULPICIAE ET CERINTHI AMORE.

Sulpicia est tibi culta tuis, Mars magne, kalendis:
  Spectatum e caelo, si sapis, ipse ueni.
Hoc Uenus ignoscet: at tu, uiolente, caueto
  Ne tibi miranti turpiter arma cadant.
Illius ex oculis, cum uult exurere diuos,
  Accendit geminas lampadas acer Amor.
Illam, quicquid agit, quoquo uestigia mouit,
  Componit furtim subsequiturque Decor.
Seu soluit crines, fusis decet esse capillis:
  Seu compsit, comptis est ueneranda comis.
Urit, seu Tyria uoluit procedere palla;
  Urit, seu niuea candida ueste uenit.
Talis in aeterno felix Uertumnus Olympo
  Mille habet ornatus, mille decenter habet.
Sola puellarum digna est, cui mollia caris
  Uellera det sucis bis madefacta Tyros,
Possideatque, metit quicquid bene olentibus aruis
  Cultor odoratae diues Arabs segetis
Et quascumque niger rubro de litore gemmas

VAR. LECT. 209 uolucri — penna *Heinsius* ‖ 210 Cū (*uel* ut) quemcumque *scripsi*: In quēcūq; (*uel*-cunq;) **O** Quandocunque **F** ‖ 211 nomina chartis **G**

III. De Sulpiciae *ectr. addidi.* Laus Sulpiciae (-tie **A**) ad deum martem. Rca. **AV** *et Plant.* Liber de amoribus Sulpiciae et Cerinthi **g** *litt. mai.* (*idem* **g** *in mg. add.*: fuit hęc filia seruii sulpitii) ‖ 3 Tu uiolente caueto *et* 4 *hab. Fris.* ‖ 11 tytia **V** ‖ 13 Uertūnus *hab. Fris.* uertunnus **G** | olimpo **AV** ‖ 14 Mille habet **G** *Plant.*: Mille hunc **AV** (hūc *pro* hēt) | habet, *supraposita m.* 2 *litterae* e *uirgula,* **V** ‖ 16 succis **O** *Plant.* ‖ 19 littore **AV** | gemmas **O**: conchas *Itali*, *Plant.*

Proximus Eois colligit Indus aquis.
Hanc uos, Pierides, festis cantate kalendis,
Et testudinea Phoebe superbe lyra.
Hoc sollemne sacrum multos haec sumet in annos:
Dignior est uestro nulla puella choro.

---

2 Parce meo iuueni, seu quis bona pascua campi
Seu colis umbrosi deuia montis aper,
Nec tibi sit duros acuisse in praelia dentes,
Incolumem custos hunc mihi seruet Amor.
Sed procul abducit uenandi Delia cura:
O pereant siluae, deficiantque canes!
Quis furor est, quae mens, densos indagine colles
Claudentem teneras laedere uelle manus?
Quidue iuuat furtim latebras intrare ferarum
Candidaque hamatis crura notare rubis?
Sed tamen, ut tecum liceat, Cerinthe, uagari,
Ipsa ego per montes retia torta feram,
Ipsa ego uelocis quaeram uestigia cerui
Et demam celeri ferrea uincla cani.
Tunc mihi, tunc placeant siluae, si, lux mea, tecum
Arguar ante ipsas concubuisse plagas:
Tunc ueniat licet ad casses, illaesus abibit,
Ne Ueneris cupidae gaudia turbet, aper.
Nunc sine me sit nulla Uenus, sed lege Dianae,
Caste puer, casta retia tange manu;

Var. lect. 20 heois **G** | equis *Scaliger* || 22 lira **AV** || 23 solemne **A** solenne **GV** | haec sumet **F** hoc sumet **O** sumat **g** celebretur *Itali* consummet *Scaliger*; *puto* haec uisat || 24 choro **g** *Plant.*: toro **G** thoro **AV**

2. Sulpicia ad cherintum (-thum **V**) de uenatione dimittenda (dimict.). Rca. **AV** Sulpitia ad Cherinthum **G** *m. rec. litt. maiusc. in* 2 *lin. interu.* || 2 umbrosia **V** *m.* 1 || 3 praelia **F**: pectore **O** pectora ς || 5 adducit **V** *m.* 1 || 7 est demens *Dousa* || 10 Hāmatis *hab. Fris.* || 11 cherinte **AV** cerin^{h}te **G** *ubique* || 12 gcram, *suprascr.* f, **G** || 13 ceruae *Broukhusius* || 15 si] sic *Heinsius*; *malim* tunc || 18 Ne **G** (**V** *m.* 2) *Plant.*: Da **AV** *m.* 1 || 19 Nunc ς: Tunc **O** *Plant.* || 20 tange **AVF**: tende **G**

Et quaecumque meo furtim subrepit amori,
Incidat in saeuas diripienda feras.
At tu uenandi studium concede parenti,
Et celer in nostros ipse recurre sinus.

---

3 Huc ades et tenerae morbos expelle puellae,
Huc ades, intonsa Phoebe superbe coma.
Crede mihi, propera: nec te iam, Phoebe, pigebit
Formosae medicas applicuisse manus.
Effice ne macies pallentes occupet artus,
Neu notet informis candida membra color;
Et quodcumque mali est et quidquid triste timemus,
In pelagus rapidis euehat amnis aquis.
Sancte, ueni, tecumque feras, quicumque sapores,
Quicumque et cantus corpora fessa leuant;
Neu iuuenem torque, metuit qui fata puellae
Uotaque pro domina uix numeranda facit.
Interdum uouet, interdum, quod langueat illa,
Dicit in aeternos aspera uerba deos.
Pone metum, Cerinthe: deus non laedit amantes.
Tu modo semper ama: salua puella tibi est.
21 Nil opus est fletu: lacrimis erit aptius uti,
22 Si quando fuerit tristior illa tibi.
17 At nunc tota tua est, te solum candida secum
Cogitat, et frustra credula turba sedet.
Phoebe, faue: laus magna tibi tribuetur in uno
Corpore seruato restituisse duos.
23 Iam celeber, iam laetus eris, cum debita reddet
Certatim sanctis laetus uterque focis.
Tunc te felicem dicet pia turba deorum,
Optabunt artes et sibi quisque tuas.

Var. lect. 21 Et **O**: At **F** | subrepit (surr. **G**) **O** *Plant.*: subrepet **V** *m.* 2

3. Ad phebum pro cherinto egrotante. Rca. **AV** Ad Phoebum **G** *m. rec. litt. maiusc.* ‖ 6 candida ς: pallida **O** *Plant.* ‖ 7 quicquid **GV** ‖ 8 rabidis **A** | eueat **A** *m.* 1; deuehat *Heinsius* ‖ 9 lepores **g** ‖ *uersus, qui sunt in* **O** 21, 22, *ante* 17, 18 *posuere Itali; et ita Plant.* ‖ 17 Ac nunc **A** ‖ 18 sedula ς

---

4 En qui te, Cerinthe, dies dedit, hic mihi sanctus
Atque inter festos semper habendus erit.
Te nascente nouum Parcae cecinere puellis
Seruitium et dederunt regna superba tibi.
Uror ego ante alias: iuuat hoc, Cerinthe, quod uror,
Si tibi de nobis mutuus ignis adest.
Mutuus adsit amor, per te dulcissima furta
Perque tuos oculos per Geniumque rogo.
Magne Geni, cape tura libens uotisque faueto,
Si modo, cum de me cogitat, ille calet.
Quod si forte alios iam nunc suspirat amores,
Tunc precor infidos, sancte, relinque focos.
Nec tu sis iniusta, Uenus: uel seruiat aeque
Uinctus uterque tibi, uel mea uincla leua.
Sed potius ualida teneamur uterque catena,
Nulla queat posthac nos soluisse dies.
Optat idem iuuenis quod nos, sed tectius optat:
Nam pudet haec illum dicere uerba palam.
At tu, Natalis, quoniam deus omnia sentis,
Annue: quid refert, clamne palamne roget?

---

5 Natalis Iuno, sanctos cape turis aceruos,
Quos tibi dat tenera docta puella manu.
Tota tibi est hodie, tibi se laetissima compsit,
Staret ut ante tuos conspicienda focos.

Var. lect. **4.** Ad cherintum de eius natali atq; amore. et demum oratio ad uenerem. R^{ca}. **AV**. Ad Cherinthum **G** *m. rec. litt. maiusc.* || 1 En qui *scripsi*: Est qui **O** (*nisi quod* St, *om. litt. init.*, **V** *m.* 1) Qui mihi **F** || 4 dederunt **G** *Plant.*: dederant **AV** || 5 alias, a *ex corr.* **G** || 6 Si tibi ne de nobis **A** || 7 assit **O** | per te **AVF**: te per **G** || 9 Magne *Itali*: Mane **O** *Plant.* Alme *Puccius* | thura **O** *Plant.*: dona ς || 10 calet *Itali*: ualet **O** uolet **F** || 11 suspirat **g** *Plant.*: suspiret **O** || 16 nos **G** (*et* **V** *m.* 2): *om.* **AV** *m.* 1 *in spat. uac.* quam *Itali*, *Plant.* || 17 tectius *Itali*: tutius **O** *Plant.* || 18 haec **G** *Plant.*: hic **AV** (*in hoc* e *m.* 2 *suprascr.*) || 20 clamne palamne ς *Plant.*: clamue palamue **O**

5. Ad iunonem recomendatio puellae. R^{ca}. **AV** Ad Iunonem **G** *m. rec. litt. maiusc.* || 1 thuris **O** *Plant.* || 2 Lota *Canterus* Tota tua est *Guietus*; *malim* Culta

Illa quidem ornandi causas tibi, diua, relegat:
Est tamen, occulte cui placuisse uelit.
At tu, sancta, faue, neu quis diuellat amantes,
Sed iuueni quaeso mutua uincla para.
Sic bene compones: ullae non ille puellae
Seruire aut cuiquam dignior illa uiro.
Nec possit cupidos uigilans deprendere custos,
Fallendique uias mille ministret Amor.
Annue purpureaque ueni perlucida palla:
Ter tibi fit libo, ter, dea casta, mero.
Praecipit en natae mater studiosa quod optat:
Illa aliud tacita, iam tua, mente rogat.
Uritur, ut celeres urunt altaria flammae,
Nec, liceat quamuis, sana fuisse uelit.
Diua, ueni grata, *ut*, uertet cum proximus annus,
Hic idem uotis iam ratus adsit amor.

VAR. LECT. 5 ornandi **G** *Plant.*: orandi **AV** || 7 neu quis **F**: ne nos **O** (nec nox *et* neu quis **g**) ne quis *Scaliger* || 9 ullae **OF**: ulli ς || 10 cuiquam **G** *Plant.*: cuidam **AV** || 13 que *om.* **O** (*in* **G** *supra lin. add. incertum an m.* 1), *habet Plant.* | perlucida, *suprascr. m.* 2 e, **V**; *in* **G** a *ex corr.* || 14 fit **g**: sic **O** sit *Plant.* || 15 en *Heinsius*: et **O** *Plant.* at **g** Praecipiat *Drenckhahnius* | quid ς | optat (*scil. ipsa mater*) **O** *Plant.*: optet **g** || 16 tua *scripsi in Fleckeis. ann. a.* 1872 *p.* 626: sua **OF** (*in* **G** sua *in* sibi *corr. m.* 2) clam sibi *Heinsius* || 17 flame **AV** || 19 Diua ueni *scripsi:* Si iuueni **O** Sis iuueni **F** Sit **g** Sis, Iuno, grata *Gruppius* Si iuueni gratae *Lachmannus* Si iuueni gratum *Riglerus* | ut *addidi*: *om.* **O** et *uel* ac *Gruppius* | uertet *scripsi*: ueniet **O** adueniet **g** *Plant.* || 20 ratus *scripsi*: uetus **O** *Plant.* | adsit ς *Plant.*: esset **O** (*in* **G** ss *ex corr.*) ut sit **g**; *fort.* extet.

IV. SULPICIAE EPISTOLIA.

1 Tandem uenit amor, qualem texisse pudore
Quam nudasse alicui sit mihi fama minor.
Exorata meis illum Cytherea Camenis
Attulit in nostrum deposuitque sinum.
Exsoluit promissa Uenus: mea gaudia narret,
Dicetur siquis non habuisse sua.
Non ego signatis quicquam mandare tabellis,
Ne legat id nemo quam meus ante, uelim,
Sed pecasse iuuat, uultus componere famae
Taedet: cum digno digna fuisse ferar.

---

2 Inuisus natalis adest, qui rure molesto
Et sine Cerintho tristis agendus erit.
Dulcius urbe quid est? an uilla sit apta puellae
Atque Arretino frigidus amnis agro?
Iam, nimium Messala mei studiose, quiescas,
Neu tempestiuae † saepe propinque † uiae.
Hic animum sensusque meos abducta relinquo,
Arbitrio quoniam non sinis esse meo.

VAR. LECT. IV. Sulpiciae epistolia *addidi. carmen* 1 *cum Gruppius priori cyclo adtribuisset, Rossbachius rectius epistoliis uindicauit: cf libr. nostrum 'Tib. Blätt.' p.* 42. Gratulatio ad uenerem de amoris obtentu. R^{ca}. **AV** Ad Uenerem **G** *m. rec. litt. maiusc.* || 1 pudore **O**: pudori ς *Plant.* || 2 minor *Itali*: magis **O** *Plant.*; *malim* fama mala (*ut potius suppleas*) || 5 Exoluit **GV** || 6 sua **Fg**: suam **AV** suum **G** || 8 Nē *ita* **G** Ne *Plant.*: Me **AV** Vt *Itali* | id nemo **G** *Plant.*: id uenio **AV** | uelim] uenit **V** *m.* 2 *mg.*

2. Sulpitia ad Messallam **F** Sulpicia (Sculp. **A**) messalę. R^{ca}. **AV** Ad Messalam **G** *m. rec. litt. maiusc.* || 1 qui, i *ex corr.* **A** || 3 puell(a)e **OF**: puellis ς || 4 arretino **g**: aretino **O** *Plant.* ut eretino **g** *mg.* Reatino *Huschkius* | annus ς || 6 Neu **O**: Non ς *Plant.* Heu **V** *m.* 2 | *uerba* saepe propinque *grauiter corrupta*; *fort.* Neu t. perge monere uiae. *uulgatae* Non *insistens Robertus Ungerus, de Ualgii Rufi poematis comm. p.* 471 *sq., coniecit* saeue propinque, *ut genetiuus a* quiescas *penderet. hoc si probas, lege* quiescas Ceu tempestiuae, saeue propinque, uiae. || 8 quoniam **G**: quamuis **AV** *Plant.*; *malim* quom me | sinit *Statius*

3 Scis iter ex animo sublatum triste puellae?
Natali Romae iam licet esse tuo.
Omnibus ille dies nobis tam laetus agatur,
Quam nec opinanti nunc tibi forte uenit.

---

4 Gratum est, securus multum quod iam tibi de me
Permittis, subito ne male inepta cadam.
Sit tibi cura togae potior pressumque quasillo
Scortum quam Serui filia Sulpicia:
Solliciti sunt pro nobis, quibus illa dolori est,
Ne cedam ignoto maxima causa toro.

---

5 Estne tibi, Cerinthe, tuae pia cura puellae
Quod mea nunc uexat corpora fessa calor?
A! ego non aliter tristes euincere morbos
Optarim, quam te si quoque uelle putem.
At mihi quid prosit morbos euincere, qum tu
Nostra potes lento pectore ferre mala?

VAR. LECT. **3.** Ad Thoratum (theoratum **V**) de natali die. Rca. **AV** de natali die **G** *m. rec. litt. maiusc.* || 2 iam licet **F**: non sinet **O** nos **g** | tuo **OF**: suo *Itali* || 3 tam laetus *scripsi*: natalis **O** *Plant. e glossa*; genialis *Itali* || 4 Quam *scripsi*: Qui **O** *Plant.* Quod *Drenckhahnius* | opinati **V**

4. De sulpicia (sculp. **A**). Rca. **AV** Ad Sulpitiam **G** *m. rec. litt. maiusc.* || 1 mulctam **G**, *corr.* **g** | tibi ς: mihi **O** *Plant.* || 2 Promittis *Heinsius* | *puto* male certa (*de tua fide*) || 3 Si — toga est *Heinsius* | illa doloris (*quod cum* max. causa *iungendum*) *Riglerus* || 6 Ne ς: Nec **O** *Plant.*; *fort.* Neu (*h. e. quibus et scortum illud et id ne cedam . . . dolori est*) | cedam *Statius*: credam **O** *Plant.* | causa **OF**: cura **g** | thoro **AV**

5. Ad cherintum (-thum **V**). Rca. **AV** Ad Cherinthum **G** *m. rec. litt. maiusc.* | 1 pia cura *Itali*: placitura **O** placiture **V** *m.* 2 **g** *Plant.* || 2 Quod **O**: Qui ς *Plant.* || 3 Ha **A** Ah **GV** *Plant.* || 4 si **O**: sic **V** *m.* 2 *Plant.* || 5 At **F**: Ha **A** Ah **GV** | qum *uel* quom *scripsi*: quid **AV** *m.* 1 *Plant.* quod (o *ex corr.*) **G** si **V** *m.* 2 **g** ubi *Scaliger* || 6 lento **F**: leto **A** lęto **G** lęcto **V**

---

6 Ne tibi sim, mea lux, aeque iam feruida cura,
Ac uideor paucos ante fuisse dies,
Si quicquam tota commisi stulta iuuenta,
Cuius me fatear paenituisse magis,
Hesterna quam te solum quod nocte reliqui,
Ardorem cupiens dissimulare meum.

V. EPIGRAMMATA.

1 Nulla tuum nobis subducet femina lectum:
Hoc primum iuncta est foedere nostra Uenus.
Tu mihi sola places, nec iam te praeter in urbe
Formosa est oculis ulla puella meis.
Atque utinam posses uni mihi bella uideri!
Displiceas aliis: sic ego tutus ero.
Nil opus inuidia est, procul absit gloria uulgi:
Qui sapit, in tacito gaudeat ille sinu.
Sic ego secretis possum bene uiuere siluis,
Qua nulla humano sit uia trita pede.
Tu mihi curarum requies, tu nocte uel atra
Lumen, et in solis tu mihi turba locis.
Nunc licet e caelo mittatur amica Tibullo,
Mittetur frustra, deficietque Uenus.
Haec tibi sancta tuae Iunonis numina iuro,
Quae sola ante alios est mihi magna deos.
Quid facio demens? eheu mea pignora cedo.
Iuraui stulte: proderat iste timor.

Var. lect. **6.** *adhaeret priori in* **O**; *iterum extat in* **AV** *in fine Lygdami elegiarum* ‖ 1 Ne **AV** *priore loco*: Nec **O** (*corr.* **V** *m.* 2) | sim (sit **V** *m.* 2) *et* iam **O**: sit *et* tam **AV** *priore loco* ‖ 2 Ac **OF**: Ut ς | uideor **GF** *et* **AV** *priore loco*: uidear **A** uideas **V** *m.* 1 uideo **V** *m.* 2

V EPIGRAMMATA *addidi.* Alloquitur puellam et amasiam innominatam **AV** Ad amicam **G** *m. rec. litt. maiusc.* ‖ 3 mihi **V** *m.* 2 *mg. Plant.*: modo **O** ‖ 5 possis ς ‖ 8 ille ς *Plant.*: ipse **O** ‖ 9 possim ς ‖ 15 Hęc (Hec **V**) tibi **GV**: Hoc tibi **A** Haec per *Plant.* ‖ 16 mihi *Scaliger*: tibi **O** *Plant.* ‖ 17 eheu *edd.*: heu heu **OF** heu cui **g** | cedo **F**: credo **O** ‖ 18 proderat **F**: prodeat **O**

Nunc tu fortis eris, nunc tu me audacius ures:
Hoc peperit misero garrula lingua malum.
Iam faciam quodcumque uoles, tuus usque manebo,
Nec fugiam notae seruitium dominae,
Sed Ueneris sanctae considam uinctus ad aras.
Haec notat iniustos supplicibusque fauet.

---

2 Rumor ait crebro nostram peccare puellam:
Nunc ego me surdis auribus esse uelim.
Crimina non haec sunt nostro sine facta dolore:
Quid miserum torques, rumor acerbe? tace.

VI. PRIAPEA.

1 Uillicus aerari quondam, nunc cultor agelli,
Haec tibi Perspectus templa, Priape, dico.
Pro quibus officiis, si fas est, sancte, paciscor,
Assiduus custos ruris ut esse uelis,
Improbus ut siquis nostrum uiolarit agellum,
Hunc tu — sed taceo: scis, puto, quod sequitur.

---

2 Quid hoc noui est? quid ira nuntiat deum?

VAR. LECT. 21 facias *L. Muellerus* ‖ 22 noto **V** *m.* 1 ‖ 23 considam **G** *m.* 1, *Plant.*: confidam **AV** *et* **G** (f *ex corr.*) | iunctus **V** ‖ 24 Haec **G** *Plant.* (*et* **V** *m.* 2): Nec **AV** *m.* 1

2. Tetrasticon de infamia sue puelle. R^{ca}. **AV** De infamia suae Puellae **G** *m. rec.* ‖ 3 facta **O**: ficta *Plant.* iacta *Itali* ‖ *in hoc carmine desinit* **G**, *qui subscribit* FINIS *rubr.*

VI. Priapea *addidi. haec duo carmina* (*inter Priapea* 82, 83) *desunt in* **O**; *in* **F** *inter Tibulliana extabant teste Scaligero in 'commentario in Priapeia'*; *unde illius lectiones, quoad erui potuerunt, hic excerpta sunt. praeter* **F** *eidem adfuit scheda Pithoeana 'mediae uetustatis', a nobis 'Pith.' siglo notata.*

1. 2 Respectus *Reinesius*

2. *Hoc in carmine codici* **F** *optimo obstant libri* **B**(*ruxellensis*), **H**(*arleianus*), **M**(*onacenses*) *ex uno fonte eoque multifariam deprauato profecti. cum his faciunt libri nouicii saec.* XV, *quorum specimina habes in Meyeri Anth. Lat.* 1696 ‖ 1 est quod **M** | nunciat *duo ex* **M**

Silente nocte candidus mihi puer
Tepente cum iaceret abditus sinu,
Uenus fuit uieta, nec uiriliter
Iners senile penis extulit caput.
Placet, Priape, qui sub arboris coma
Soles sacrum reuincte pampino caput
Ruber sedere cum rubente fascino?
At, o Triphalle, saepe floribus nouis
Tuas sine arte deligauimus comas
Abegimusque uoce saepe, cum tibi
Senexue coruus inpigerue graculus
Sacrum feriret ore corneo caput.
Uale, nefande destitutor inguinum,
Uale, Priape: debeo tibi nihil.
Iacebis inter arua pallidus situ,
Canisque saeua susque ligneo tibi
Lutosus adfricabit oblitum latus.
At o sceleste penis, o meum malum,
Graui piaque lege noxiam lues.
Licet querare: nec tibi tener puer
Patebit ullus, intremente qui toro
Iuuante uerset arte mobilem natem,

Var. lect. 3 abdita *unus ex* **M** ‖ 4 uieta *Heinsius*: quieta *codd.* ‖ 5 capud **B** *ubique* ‖ 6 como *unus ex* **M** ‖ 7 reuincte *Scaliger*: reuinctus *codd.* ‖ 9 tripallo **F**: priape **BHM** ‖ 11 uoce≡sepe$^{\text{cum}}_{\wedge}$ tibi **H** ‖ 12 Sepexue *unus ex* **M** | inpigerue **B**: ĩpingerue **H** impigerue **M** ‖ debeạm̊ **H** tibi debeo **B** ‖ 16 ịa inter **H** | pallidus **F**: callidus **BM** semper squalidus **H** ‖ 17 *et* 18 *ita habet* **F**, *nisi quod* saeuas usque (*quod correxit Scaliger*) *et* affricabit *scribit*: Canisue seuus lutosus adfricabit obliquum latus **B** Canis saeuus usque $\overset{\text{mingere}}{\text{l̤i̤n̤}}$ aut tibi Fricabit obliquum latus aper lutosus **H** Canisue seuus fabricabit oblitum latus **M** Canisue saeuus usque imminget aut tibi Fricabit oblitum latus aper lutosus *Pith.* ‖ 19 At o sceleste **B**: At hos sceleste **M** (scelesti *unus*) O sceleste **H** Sceleste *Scaliger, qui de* **F** *nil adnotauit* | o meum malum **BHM**: o cui meum malum *Scaliger ex edd. uetust.* (*nam de* **F** *nil adnotauit*) o meum malum graue *Pith., qui sine dubio* At o *omisit* ‖ 20 *om.* **H** | lege noxiam **F**: tege noxias **BM** ‖ 21 Licebitq; rare *unus ex* **M** ‖ 22 *puto* Iacebit | intremente *scripsi*: imminente (inm. **B**) **BHM** ingemente *edd. uetust., ex* **F** *nil adlatum* | thoro **BHM** ‖ 23 arte *edd. uet.*: ante **BHM**

Puella nec iocosa te leui manu
Fouebit adprimetue lucidum femur.
Bidens amica Romuli senis memor
Paratur, inter atra cuius inguina
Latet iacente pantice abditus specus
Uagaque pelle tectus, annuo gelu
Araneosus obsidet forem situs.
Tibi haec paratur, ut tuum ter aut quater
Uoret profunda fossa lubricum caput.
Licebit aeger angue lentior cubes,
Tereris usque, donec, á! miser miser,
Triplexque quadruplexque compleas specum.
Superbia ista proderit nihil, simul
Uagum sonante merseris luto caput.
Quid est, iners? pigetne lentitudinis?
Licebit hoc inultus auferas semel:
Sed ille cum redibit aureus puer,
Simul sonante senseris iter pede,
Uigente neruus excubet lubidine
Et inquietus inguina adrigat tumor
Neque incitare cesset usque dum mihi
Uenus iocosa molle ruperit latus.

Var. lect. 24 iocos ate **B** iocosa, *om.* te, **H** loco sate **M** ‖ 25 ad p̄metue **B**: ac p̄metue **H** apprimetue **M** | lubricum *Pith.* ‖ 28 *om.* **BHM** | Patet *L. Muellerus* | pantice (*sic*) abditus specu **F**, *corr. Scaliger* ‖ 29 Uagaque *Scaliger*: Uacuaque **BHM** *edd.* | annuo **F**: inguinum **BHM** ‖ 30 Harenosus **H** | forem **BM**: fores **H** *uulgo* ‖ 31 parantur **BM** | terrauit **M** ‖ 32 Uorat **M** ‖ 33 angue lentior **F**: angue lenior **BM** aut languencior **H** ‖ 34 Terreris **BHM** | amiser **BM**: ha miser **H** ‖ 35 comple aspectum **M** ‖ 37 īmerseris **H** merserit **M** | luto caput **BH**: caput luto **M** *uulgo* ‖ 38 Quidem iners **M** | inhers **H** | pigetque **BM** ‖ 39 afferas semelis **H** ‖ 42 Uigente *scripsi*: Rigente **F** Repente **BHM** Recente *L. Muellerus* | neruus **F**: neruos **BHM** | excubet lubidine **F**: excitet libidine (— nes **H**) **BHM** ‖ 43 inguina arrigat *edd.*: inguina dirigat **H** inguine rigat (*sic*) **B** inguina erigit (*sic*) **M**, *unde* inguina (*uel* inguen) erigat *conicias* ‖ 44 Et $\overset{non}{\wedge}$ mitare **H** | cesset **F**: possit **BHM**

VII. DOMITII MARSI.

Te quoque Uirgilio comitem non aequa, Tibulle,
  Mors iuuenem campos misit ad Elysios,
Ne foret, aut elegis molles qui fleret amores
  Aut caneret forti regia bella pede.

Var. lect. VII. DOMITI MARSI **F** *teste Scaligero in castigatt.* (*in Plant. absque siglo solito adnotauit*: DOMITII MARSI. V. D.): Epitaphyum Tybulli. R^{ca}. **A** Epitaphium Tibulli **V**: *in* **G** *dest* ‖ 1 tybulle **A** ‖ 2 iuuem **V** *m.* 1 ‖ *post* 4: Explicit liber Tybulli **A** *itidemque, nisi quod* Tibulli feliciter *habet,* **V**. *sequitur in* **AV** *uita Tibulli infra exhibita.*

Albius Tibullus, eques R., e Gabiis, insignis forma cultuque corporis obseruabilis, ante alios Coruinum Messalam † originem † dilexit, cuius et contubernalis Aquitanico bello militaribus donis donatus est. hic multorum iudicio principem inter elegiographos optinet locum. epistulae quoque eius amatoriae, quamquam breues, omnino subtiles sunt. obiit adulescens, ut indicat epigramma supra scriptum.

Var. lect. *Extat haec uita, quam ex Suetonii de uiris illustribus opere esse excerptam docui in libello* '*Tibull. Blätter*' *p.* 3 *sqq., in* **AV** (*hic illic codicum interpolatorum* ς *lectiones adferam*) ‖ 1 tybullus **A** | eques R. e gabis (= gabiis) *scripsi*: eques regalis **AV** *m.* 1 regius **V** *m.* 2. Ro. *uel* Romanus ς ‖ 3 originem *corruptum*; oratorem *edd.* ob ingenium *uel* or., adfinem *conieci. Loewius* ante alios Messalam Coruinum dilexit *proposuit,* Coruinum *illius* originem *correcturam esse statuens* ‖ 3 et **A**: etiam **V** | equitanico **AV**, *corr.* ς ‖ 5 elegyographos obtinet **V** ‖ 6 epte **A**: epistole **V** ‖ 7 subtiles (*olim* dulces) *scripsi*: utiles **AV** | adolescens **AV** | epigrama **A** ‖ 8 superscriptum **AV**, *corr.* ς